500

PHAR

ARGE




Gerhardt Argent. del. M. Tyroff sculpeb. Norimbgæ

Rés 5002

# PHARMACOPOEIA ARGENTORATENSIS

ÉCOLE DE PHARMACIE DE PARIS

INCLYTI MAGISTRATUS JUSSU

REVISA ET AD USUM HODIERNUM ACCOMMODATA

A

COLLEGIO MEDICO.

*ARGENTORATI*

Sumtibus JOHANNIS GOTHOFREDI BAUERI

Exprimebat JOHANNES HENRICUS HEITZ.

M DCC LVII.

VIRO
SUMME REVERENDO,
PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO,
DOMINO
JOHANNI BAPTISTÆ
DIONYSIO
DE
# REGEMORTE,
REGI CHRISTIANISSIMO
A CONSILIIS,
SUPREMÆ, QUÆ IN ALSATIA EST, CURIÆ
CONSILIARIO HONORARIO,
CIVITATIS REGIÆ ARGENTORATENSIS
PRÆTORI REGIO
EXCELLENTISSIMO,
OMNIUM CIVITATIS HUJUS COLLEGIORUM
PRÆSIDI
GRAVISSIMO.

UT ET

INCLYTO

EJUSDEM CIVITATIS

# MAGISTRATUI,

VIRIS

*GENEROSISSIMIS, GENEROSIS, NOBILISSIMIS, MAGNIFICIS, MAXIME STRENUIS, AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS ATQUE CONSULTISSIMIS,*

DOMINIS

# PRÆTORIBUS,

CONSULIBUS,

TREDECIMVIRIS, QUINDECIMVIRIS, VIGINTIUNUMVIRIS,

TOTIQUE

SENATUI

SPLENDIDIDISSIMO,

PATRIÆ

PATRIBUS AC PATRONIS

BENIGNISSIMIS, GRATIOSISSIMIS.

QUam provida ſit VESTRA, PATRES PATRIÆ BENIGNISSIMI, in promovenda publica hujus Civitatis ſalute, cura, vel ſola noſtra res Medica loquitur abunde. Hæc namque VESTRIS, jam olim quidem conditis, nunc vero à VOBIS ſapienter huic ævo adaptatis, reſtauratis & haud ita pridem promulgatis Legibus, magnifice ſeſe fotam, amplificatam ſtabilitamque grata non agnoſcit modo; ſed & prædicat. Novum addidiſtis ſummi hujus in augendis commodis publicis ſtudii VESTRI documentum: dum quibuſdam noſtrûm, quibus ſpecialiorem Officinarum Pharmaceuticarum noſtratium inſpectionem laudatæ modo Leges commiſerunt, id negotii dediſtis, ut Pharmacopœiam Argentoratenſem, anno hujus ſeculi XXV, juſſu pariter VESTRO, evulgatam, cujus omnia exemplaria jam diu diſtracta erant, reviderent & ad ſtatum hodiernum accommodarent, ſuperflua, pretioſa, non magis tamen ideo ſemper efficacia, ac inutilia cuncta, quantum poſſibile ejicerent; præparationeſque & compoſitiones Medicamentorum reliquas curatius ordinarent: quo ſic non Pharmacopolia tantum ab inutilibus, quibus adhuc onerabantur, ponderibus liberarentur; ſed & miſeri ægrotantes ex-

inde non niſi ſelecta & probata, viliori tamen ut plurimum pretio, haurire poſſent ſanitatis præſidia. VESTRA hæc imprimis ſunt merita, PERILLUSTRIS DOMINE PRÆTOR REGIE &, quos INCLYTUS MAGISTRATUS rei Medicæ & Pharmaceuticæ præfecit, VIRI MAGNIFICE PRUDENTISSIMIque: quippe qui toti huic negotio animam non modo dediſtis; ſed & auctoritate VESTRA illud ſuſtentaſtis & ad exoptatam maturitatem deduxiſtis. VESTRÆ ideo hic à nobis quoque digne celebrandæ forent laudes: aſt, tenuitatis noſtræ conſcii, diſertioribus hanc ſpartam oratoribus lubenter relinquimus, tacita potius veneratione virtutes VESTRAS perpetuo admiraturi. Cæterum, PERILLUSTRIS DOMINE PRÆTOR REGIE & VOS PATRIÆ PATRES CONSCRIPTI, MECÆNATES OPTIMI, ut, quam juſſu VESTRO exaravimus opellam, MAXIMIS etiam VESTRIS inſcribamus NOMINIBUS benigniſſime concedatis eandemque æque ac noſtrum Collegium, ut & univerſam rem Medicam, GRATIOSISSIMO VESTRO PATROCINIO, complecti & contra omnes inſultus tueri clementer ſemper dignemini. Sic & nos pro pretioſiſſima VESTRA incolumitate ac ſalute, non minus quam pro perennante VESTRO feliciſſimo Regimine, pia ad Divinum Numen vota nuncupare & in perpetuæ gratitudinis ara ILLUSTRIA VESTRA NOMINA Immortalitati conſecrare non ceſſabimus unquam.

PERILLUSTRIUM, GENEROSISSIMARUM, MAGNIFICARUM, AMPLISSIMARUMQUE VESTRARUM DIGNITATUM

Cultores perpetuum devoti
DECANUS CÆTERIQUE COLLEGII MEDICI DOCTORES.

# NOMINA
# D. D. MEDICORUM
## COLLEGIUM MEDICUM ARGENTORATENSE
### CONSTITUENTIUM.

S. T. D. JOHANNES SAINCTLO, Seleſtadienſis, *Civitatis Argentoratenſis XIII*[vir]*, per viginti quatuor annos olim Archiater.*

D. JOHANNES CHRISTIANUS EHRMANN, Argentoratenſis, *Civitatis Archiater & Collegii Decanus perpetuus.*

D. JOHANNES HAAN, Argentoratenſis, *hoc anno Collegii Prodecanus.*

D. JOHANNES JACOBUS SACHS, Argentoratenſis, *Facultatis Medicæ Senior, Praxeos Clinicæ Profeſſor Publicus Ordinarius, Capituli Thomani Decanus, Conſiliarius & Archiater Haſſo-Darmſtadinus.*

D. GEORGIUS HENRICUS EISENMANN, Argentoratenſis, *Pathologiæ Profeſſor Publicus Ordinarius, Capituli Thomani Canonicus.*

D. JOHANNES BOECLER, Argentoratenſis, *Chemiæ, Botanices & Materiæ Medicæ Profeſſor Publicus Ordinarius, Capituli Thomani Canonicus.*

)( )(

D. PHILIPPUS HENRICUS BOECLER, Argentoratenſis, *Anatomiæ & Chirurgiæ Profeſſor Publicus Ordinarius, Academiæ Regiæ Scientiarum Monſpelienſis, Cæſareæ Naturæ Curioſorum & Electoralis Moguntinæ Scientiarum utilium Sodalis.*

D. JOHANNES PHILIPPUS GRAUEL, Argentoratenſis, *Phyſices Profeſſor Publicus Ordinarius, Capituli Thomani Canonicus.*

D. JACOBUS REINBOLDUS SPIELMANN, Argentoratenſis, *Poëſeos Profeſſor Publicus Ordinarius, Medicinæ Extraordinarius.*

D. MATTHIAS GLOXIN, Colmarienſis, *Sereniſſimo Principi Chriſtiano III. Comiti Palatino ad Rhenum, Duci Bipontino quondam à Conſiliis Aulicis & ejus Archiater.*

D. JOHANNES JACOBUS FRIED, Argentoratenſis.

D. JOHANNES GEORGIUS NOTTER, Argentoratenſis, *Phyſicus Landavienſis.*

D. JOHANNES GEORGIUS WILHELM, Argentoratenſis, *Conſiliarius & Archiater Haſſo-Hanoico-Buxovillanus.*

D. JOHANNES JACOBUS SCHURER, Argentoratenſis.

D. GEORGIUS HENRICUS BEHR, Argentoratenſis, *Conſiliarius & Archiater Hohenloicus, Academiæ Cæſareæ Naturæ Curioſorum Societatumque variarum Teutonicarum Membrum.*

D. JOHANNES GOTHOFREDUS PFÆHLER, Argentoratenſis.

D. JOHANNES MICHAEL BOEHM, Argentoratenſis, *Sereniſſimi Principis Naſſovio-Saræpontani Conſiliarius & Medicus Aulicus, Noſocomii Civium Medicus Ordinarius, Collegii Medici Actuarius.*

D. JOHANNES GOTHOFREDUS SALZMANN, Argentoratenſis.

D. ISAACUS OTTMANN, Argentoratenſis.

D. JOHANNES LUDOVICUS MILHAU, Argentoratenſis, *Noſocomii Civium Medicus Ordinarius.*

D. JOHANNES FRIDERICUS MOSEDER, Argentoratenſis, *Orphanotrophii Civitatis Medicus.*

D. JOHANNES GEORGIUS LAUTH, Argentoratenſis.

D. JOHANNES BARBENES, Argentoratenſis.

D. SAMUEL FRIDERICUS KOENIG, Hanovienſis.

D. FRANCISCUS ANTONIUS GUERING, Rubeacenſis Alſata, *Conſiliarius Regius, Noſocomii Regii & Orphanotrophii Civitatis Medicus.*

D. JOHANNES JACOBUS KAMM, Argentoratenſis, *Phyſicus Weiſſenburgenſis.*

)( )( 2

D. JOSIAS WEIGEN, Argentoratenſis.

D. JOHANNES-JACOBUS ROTH, Argentoratenſis.

D. JOHANNES SILBERLING, Argentoratenſis, *Phyſicus Lauterburgenſis.*

D. JOHANNES FRIDERICUS CHRISTIANUS CORVINUS, Weſterburgenſis.

D. HUBERTUS MARCHAND, Billyaco - Virdunenſis.

D. JOHANNES PFEFFINGER, Argentoratenſis.

D. JOHANNES JACOBUS DOLDE, Frauſtadienſis.

D. FRIDERICUS REEBMANN, Argentoratenſis.

D. RUDOLPHUS JEREMIAS RAISIN, Montisbelgardenſis.

PRÆFATIO

# PRÆFATIO
## AD
# PHARMACOPOEIAM ARGENTORATENSEM
ANNO MDCCXXV.

PRIMA VICE EVULGATAM.

---

Ξ Θ!

# DECANUS
ET
# COLLEGIUM MEDICUM ARGENTORATENSE

*LECTORI BENEVOLO*

S. P. P.

Ut nobis, iſtam PHARMACOPOEIAM, ſeu, ut vulgo vocant, Diſpenſatorium in lucem emittentibus, & forſitan haud immerito, objici queat, noſmet, uti inter eruditos ſermo eſt, velut poſt Homerum Iliadem conſcribere velle, cum tot jam extent ab experientiſſimis celeberrimiſque Medicis, nec minus in arte exercitatiſſimis Pharmacopoeis editæ Pharmacopoeiæ, Diſpenſatoria, Antidotaria &, ſub aliis titulis evulgata, circa medi-

camentorum compoſitionem volumina, non ſolum Medicis Pharmacopoeiſque & Chirurgis nota, ſed & imprimis quæ in vernaculam traducta, aut in eadem conſcripta ſunt, vulgo non incognita. Veruntamen, cum ipſa ars Pharmacevtica tot quotidie acceſſiones faciat, ubi de die in diem nova eidem ſimplicia dicta medicamenta pariter ac compoſita accreſcunt, præſertim in magnis & populo exundantibus urbibus, in quibus iſte tot hominum veluti fluxus & refluxus, uti novas merces, ita & nova medicamenta quotidie invehit; omnino e re eſt, ut quantum iſta valeant, probe examinentur. Nempe ubi indigenæ ab itineribus reverſi æque ac accolæ & advenæ ſubinde experimenta aliarum urbium & regionum jactitant: Imprimis noſtro hoc ævo, quando nunc incognita patribus medicamina multa

*ORTUS ET OCCASUS, SEPTENTRIO MITTIT, ET AUSTER.*

Ne quid dicatur de morbis, non quidem omnino novis, ab iſto tamen hominum confluxu frequentioribus quam patrum atque avorum ætate erant & periculoſioribus redditis, quibus, ut obviam irent medici, omnino multa, quæ non uſque adeo majorum ævo in uſu erant medicamenta adhibere, coacti fuerant. Quæ cum ita ſint, operæ pretium omnino viſum eſt, Pharmacopoeiam quoque pro noſtra potiſſimum urbe, in qua ſanitati tuendæ & curandis morbis, ut & docendæ Medicinæ occupati degimus, adornare, quæ Pharmacopoeis noſtris, ceu norma, juxta quam ipſi medicamenta præparanda atque componenda, haberent, inſervire poſſet, inprimis ubi INCLYTI SENATUS CIVI-

TATIS JUSSUS publicus, qui, auctore præcipue ILLUSTRI *DNO. PRÆTORE REGIO*, pro provida ea, qua publicæ ſaluti provehendæ prælucet, cura, gratioſe mandavit, ut non ſolum præſidentibus e ſplendidiſſimo COLLEGIO QUINDECEMVIRALI AMPLISSIMIS DOMINIS DEPUTATIS ab *aliquot e Collegio noſtro nominatis Medicis* Officinæ Pharmacevticæ, quam fieri poſſet accuratiſſime viſitarentur atque examinarentur, verum etiam catalogus omnium proſtantium medicamentorum cum taxatione, ut loquuntur, eorundem conficeretur, quo, quid Phamacopoei venundarent, publice omnibus conſtare poſſet. Cum vero labore iſto defungi non potuerimus, citra, quam quod ad trutinam omnes omnium medicamentorum præparatorum, officinalium dictorum, compoſitiones examinarentur, ſponte velut, in *iſtud* negotium, quo Diſpenſatorium publice extans conficeretur, delati ſumus. Laboravimus itaque per undecim fere menſes ex eo tempore, quo ſupra dictus Catalogus prodiit, qui ab INCLYTO SENATU nominati fuimus, noſmet *quatuor Medici*, adſcitis quoque e ſingulis officinis Pharmacopoeis, donec opus iſtud abſolvimus; atque in univerſum Collegis cæteris ad approbandum prælegimus, atque communicavimus. Id nunc auſpiciis prælaudati INCLYTI SENATUS ſub nomine *Collegii noſtri*, faxit DEUS ut feliciter, evulgamus. In eo quid præſtitum ſit, non multis verborum lenociniis prolixe commendabimus, cum omnibus æquioribus rerum æſtimatoribus facile patere poteſt, quis, qualis, & quantus labor iſte fuerit; Contenti maxime, ſi non tam aliis placeat, quam pu-

blicæ ſaluti utilis evadat. Vale, *LECTOR* benevole, & iſti noſtro labori haud gravatim fave.

Cæterum prolegomena, inſtitutiones Pharmacevticas quam maxime continentia, ſtudio omiſimus, quippe quæ in aliis Diſpenſatoriis abunde tradita inveniuntur. Quod ſupereſt, benevolus Lector nobis quoque vitio non vertet, quod in vulgo dictis compoſitionibus, in quibus Pharmacopoeiam Auguſtanam ſecuti fuimus, nos ejus præciſe uſi fuerimus verborum formulis. Inde nec dubitamus, exprobrari nobis non poſſe, terminis, utut non uſque adeo Latinis & interdum barbariem, Literatis dictam, ſonantibus, in foro tamen Medico, imprimis circa labores Pharmacevticos occupato, receptis nos uſos fuiſſe, cum, ubi Univerſitatis ſtudiorum vulgo dictæ ſplendore Urbs noſtra coruſca eſt, purioris Latinitatis nitor & *Græcæ* elegantiæ ſtudium quam maxime eminere deberet; quod quidem per Dei gratiam, & Majorum noſtrorum providentiam, Optimatumque præſentium favorem, & adhuc apud nos citra vanæ gloriæ notam ſat vivide floret. Scilicet, non ignari ex Græcorum Σακχάροπος confectum barbaris ſeculis vocem Syrupus & ἔκλειγμα in Electuarium eſſe converſum aliaque id genus plura corrupta fuiſſe, maluimus, ut intelligeremur, loqui cum vulgo, ſentire nihilominus cum eruditis.

PRÆFATIO

# PRÆFATIO
## AD
# PHARMACOPOEIAM ARGENTORATENSEM
## REVISAM ET AD STATUM HODIERNUM ACCOMMODATAM.

---

Dum hancce *Pharmacopœiam Argentoratenſem, reviſam & ad ſtatum hodiernum accommodatam*, juſſu INCLYTI MAGISTRATUS, in lucem emittimus publicam, quid in eadem mutatum præſtitumve a nobis fuerit, pauciſſimis indigitare haud abs re fore credimus. *Primo* quidem monemus, nos nullatenus Corpus ſive Codicem Pharmacevticum, in quo vix non omnes, aut ſaltem plurimæ, Remediorum præparationes ac compoſitiones continerentur, ſed Diſpenſatorium tantum, quod Pharmacopœis noſtratibus normam præberet, juxta quam Medicamenta, quorum uſus apud nos præcipue viget, præparare & componere debeant, concinnare in animo habuiſſe: adeoque in hunc ſcopum, *ſecundo*, retentis ſolum memoratis modo Remediis, reliqua, quæ nunc vel ſuperflua, vel obſoleta, aut minus frequentis uſus, vel inconcinna quoque (qualia tamen olim non videbantur) in Pharmacopoeiæ noſtræ editione prima deprehendimus, jure meritoque eliminaſſe: Medicamenta, tamen, *tertio*, plura alia, quorum uſus interea apud nos invaluit, loco horum adjunxiſſe. Ubi quidem neutiquam diffitendum eandem nos ac Anteceſſores noſtros ſortem manere, dum, invitis licet nobis, quædam, quæ aliis ſuperflua, obſoleta & haud adeo concinna quoque videri poſſent, forſan irrepſerunt: ſiquidem vulgi opinionibus non minus, quam quorundam deſideriis & hac occaſione aliquid erat dandum. Pretioſa, *quarto*, & cariora, quæ pretium quidem, vires autem & efficaciam Medicamentorum non æque augent, quantum per ſuperſtitionem plurimorum licuit, e compoſitionibus proſcripſimus, aliaque vilioris pretii, ejuſdem tamen efficaciæ, præeuntibus ipſis Pharmacopoeis, qui hoc ſæpius

in uſus ſuos vertere apprime norunt, ſubſtituimus: quo ſic non tantum horum conſcientiæ; ſed & ægrotantium crumenis conſuleretur. Formulas, *quinto*, Remediorum, quæ correctione egere videbantur, emendare magiſque aptas & concinnas reddere allaboravimus. *Sexto*, licet in prima hujus Pharmacopœiæ editione Medicamenta in certas claſſes digeſta fuerint, ſubjuncta ultimo peculiari variorum Remediorum, quæ prioribus commode adſcribi non poterant, nos tamen conſultius duximus, ad imitationem aliorum, celebratiſſimorum etiam, Diſpenſatoriorum, & in noſtro Medicamenta ordine alphabetico diſponere; quum nec ſic claſſes naturales plurimæ dirimantur prætereaque cuncta facilius, etiam ſine indice, evolvi queant. Quamvis autem, hac ratione, adjectus in calce Index, ſuperfluus videri poſſet, maluimus tamen, majoris commoditatis gratia, talem *ſeptimo* adponere: quo ſic non ſolum Medicamentorum tituli, veluti in tabula, in Viſitationibus præprimis Officinarum, quotannis inſtitui ſolitis, ſtatim conſpici; ſed & plura Remedia, quæ non ſub propriis, verum aliis, recenſentur titulis, eo faciliori negotio quæri poſſint. *Octavo*, formulas typis mandari curavimus ita ut, Medicamenta præparaturis imprimis, ingredientia æque ac labores circa eadem ſuſcipiendi, primo quaſi obtutu in oculos incurrant. *Nono*, denique plura nos ex aliis Pharmacopœiis, Diſpenſatoriis ſimilibuſque ſcriptis hauſiſſe atque hic, verbotenus etiam quandoque, inſeruiſſe, confiteri non erubeſcimus; cum hac in re plures jam habeamus præceſſores, qui tam ex aliis, quam ex noſtra priori Pharmacopœia, formulas ſuas excerpſerunt. *Ultimo* tandem repetimus, Pharmacopœiam hanc ad uſus præſertim Civitatis noſtræ a nobis fuiſſe accommodatam: quodſi tamen & exteris illa inſervire poterit, valdopere lætabimur. Æquum Lectorem modo ut, quos forte hic deprehendet, lapſus benigne ac humaniter corrigat, humaniſſime rogamus. Vale Lector Benevole! opella hac noſtra in commoda publici, magno Tui cum emolumento, quam diutiſſime ſoſpes utere! eandemque & nos favori Tuo commendatiſſimos ſemper habe!

QUum in præſcriptione formularum Medicarum ſæpius, compendii gratia, plura Medicamenta, ſimplicia pariter ac præparata, ſub uno generali titulo complecti & præſcribi ſoleant, ſequentia, apud nos hoc nomine uſitata, hic apponere placuit.

| | |
|---|---|
| Radices quinque aperientes majores | Apii,<br>Aſparagi,<br>Fœniculi,<br>Petroſelini,<br>Ruſci. |
| Radices quinque aperientes minores | Capparis,<br>Eryngii,<br>Graminis,<br>Ononidis,<br>Rubiæ tinctorum. |
| Herbæ quinque emollientes - - | Althææ,<br>Brancæ Urſinæ ſ. Acanthi Germanicæ,<br>Malvæ,<br>Mercurialis,<br>Violariæ. |
| Herbæ quinque capillares - - | Adianthi albi ſ. Rutæ murariæ,<br>Adianthi aurei ſ. Polytrichi aurei,<br>Adianthi nigri ſ. Capilli Veneris,<br>Aſplenii ſ. Ceterach,<br>Scolopendrii veri ſ. Linguæ Cervinæ. |
| Flores quatuor cordiales - - - | Borraginis,<br>Bugloſſæ,<br>Roſarum,<br>Violarum. |

*Nota quod pro mulieribus & iis qui odorem non ferunt, Flores Roſarum omittantur & tres tantum Flores cordiales reliqui præſcribantur.*

| | |
|---|---|
| Semina quatuor calida ſ. carminativa majora - - - - | Aniſi,<br>Carvi,<br>Cumini,<br>Fœniculi. |
| Semina quatuor calida ſ. carminativa minora - - - | Ammeos,<br>Amomi,<br>Apii,<br>Dauci. |
| Semina quatuor frigida majora - - | Citrulli,<br>Cucumeris,<br>Cucurbitæ,<br>Melonum. |
| Semina quatuor frigida minora - | Endiviæ ſ. Scariolæ,<br>Lactucæ,<br>Plantaginis,<br>Portulacæ. |
| Myrobalanorum ſpecies quinque - | Belliricæ,<br>Chebulæ,<br>*Citrinæ*,<br>Emblicæ,<br>Indæ. |
| Fragmenta quinque Lapidum pretioſorum - - - | Carneoli ſ. Sardæ,<br>Granati,<br>Hyacinthi,<br>Sapphiri,<br>Smaragdi. |
| Aquæ quatuor cordiales - - | Borraginis,<br>Bugloſſæ,<br>Roſarum,<br>Violarum. |

*Notetur hic idem, quod ſupra de Floribus cordialibus dictum fuit.*

---

Tandem circa pondera & menſuras, in præparatione Medicamentorum uſurpari ſolitas, monendum eſſe duximus, nos in hac noſtra Pharmacopœia, rejectis omnibus reliquis, vagis utplurimum, menſuris ſoli Libræ & quidem Medicæ inhæſiſſe &, ad evitandum omnem errorem & ambiguitatem, omnia ad hanc reduxiſſe: ita ut, ubicunque in hac Pharmacopœia libræ occurrit mentio, *Libram Medicam*, *Uncias duodecim* continentem, intelligendam velimus.

PHAR-

# PHARMACOPOEIA ARGENTORATENSIS EMENDATA.

## ACETUM DESTILLATUM.

VARIIS deſtillatur *Acetum* modis: quidam ex veſica, cucurbitis terreis aut vitreis, alii ex Maris Balneo deſtillant. Compendioſius meliusque per retortam igne arenæ inſtituitur Aceti deſtillatio: nimirum

℞. Aceti Vini bonæ notæ quantum ſufficit.

Inde retortæ, ita ut tertia circiter pars vacua remaneat, immitte deinde retortam in catinum arena repletum, adapta recipiens vitrum & leni igne deſtillationem inchoa, ſic ab initio deſtillabit pars aquoſior cum ſubtiliori acidula, quæ *Spiritus Aceti* dicitur. Quando phlegma jam prodiit, id quod quidam tanquam inutile, ſed male rejiciunt, lutandæ vaſorum juncturæ & ignis fortius urgendus, ſic Spiritus Aceti albiſſimi elevabuntur. Ubi circiter tres partes exſtillarunt, & in retorta apparet ſubſtantia melliformis, tunc ab operatione ceſſandum; alias namque, ſi ad ſiccitatem Acetum abſtraheretur, vix aut nunquam delebile empyrevma contraheret liquor deſtillatus. Acetum tali modo rectificatum, ſub *Aceti ſtillatitii*, *Aceti deſtillati*, *Spiritus Aceti* & *Spiritus Aceti ignei* nomine venit. Id quod in fundo retortæ mellis inſtar ſub forma liquoris ſaturatius tincti & ex flavo rubeſcentis remanſit, quodque à

quibuſdam *Aceti radicati* nomine inſignitur, ſuppeditat non ſolum Cryſtallos quaſdam Tartareas; ſed & igne aperto, in Spiritum penetrantiſſimum, at ob ſummum empyrevma non amplius uſurpari ſolitum (quod tamen empyrevma in Spiritu cum farina laterum deſtillato, non obſervatur) & Oleum nigrum deſtillari poteſt. Ex capite mortuo per incinerationem, diſſolutionem, filtrationem atque evaporationem Sal Alcali fixum, Sali Tartari non admodum diſſimile, extrahitur.

*Inſervit potiſſimum* Acetum deſtillatum *ad variorum corporum ſolutiones inſtituendas, ut & ad mixtorum quorundam virulentiam corrigendam. Refrigerat, bilis & humorum æſtuantium expanſionem orgaſticam refrænat, ſitim ſedat, hæmorrhagias narium compeſcit, venenorum antidotum eſt; præterea reſolvit quoque & ſudorem pellit. Deſtillatur autem Acetum, ut depuretur à partibus tartareis atque crudioribus utque ſubtilius reddatur ac durabilius, ſimplex enim ſæpe vappeſcit, dum deſtillatum incorruptibile eſt. Bene notat* Jüngken, *quod ſi quæ præparationes cum Aceto inſtituendæ ſint, quæ evaporari debent, requiratur Acetum deſtillatum, ſimplex namque ſi evaporatur tinctam relinquit remanentiam; ſic etiam ſi infuſa expetuntur ſubtiliora ac durabiliora Acetum deſtillatum in uſum veniat. Notandum tamen Acetum ſimplex bonæ notæ, pro uſu interno, deſtillato præferendum eſſe. Externe pariter refocillandi ſcopo in lipothymia, ſyncope & affectibus ſoporoſis naribus applicatur, variiſque epithematibus miſcetur.*

Prostant apud nos etiam alia Acetorum Medicatorum Genera, e. g.

LAVENDULÆ.
ROSARUM.
RUTÆ.
SAMBUCI.
TUNICÆ.

Aceta per infuſionem parata, ex Aceto ſimplici æque ac deſtillato parari poſſunt; durabiliora ſunt, quæ fiunt ex deſtillato, efficaciora autem, quæ fiunt ex ſimplici. Exemplo ſit

## ACETUM SAMBUCINUM.

℞. Florum Sambuci libram unam,
Aceti acerrimi libras octo.

In vaſe vitreo inſolentur per octodecim vel viginti dies, cola deinde & ſerva. Eodem modo & reliqua Acetorum genera parari poſſunt, quæ vires ſimplicium ſuorum re-

ferunt & in uſum præſertim externum veniunt.

## ACETUM SATURNINUM ſeu LITHARGYRII.

℞. Lithargyrii triti libram unam,
Aceti Vini deſtillati libras quatuor.

Coquantur lento igne in vaſe figulino probe vitreato, ſpatula lignea perpetuo agitando, donec Acetum probe ſaturatum ſit, quod per chartam bibulam filtratum ſervetur. Reſiduo novum Acetum affundatur, & dicto modo coquatur, reiterando hunc laborem donec calx Saturnina ſoluta ſit.

*Refrigerat, affluxum cohibet, inflammationes ſedat, ulcera exſiccat, pro coſmetico etiam à quibuſdam adhibetur.*

## ACETUM SCILLITICUM.

℞. Scillæ præparatæ, minutim ſciſſæ & piſtillo ligneo contuſæ libram unam,
Aceti acerrimi libras octo.

Digerantur per aliquot dies, ſervetur in vitro optime clauſo & nonniſi tempore uſus coletur.

*Ut plurimum in affectibus aſthmaticis & in obſtructione bronchiorum, ad mucum craſſiorem reſolvendum & ad expectorationem promovendam, ut & in affectibus aliorum viſcerum, à craſſa & tenaci pituita ortis utiliter uſurpatur. Doſis per ſe eſt uncia ſemis, ad unciam unam. In ſupra dictis affectibus commode in eo Gummi Ammoniacum diſſolvitur, quæ ſolutio deinde vehiculis aquoſis diluitur. In gravitate auditus à pituita in Gargariſmo conducit. Abſtineat tamen ab eo, qui gingivas, aut partes internas exulceratas habet.*

## ÆRIS USTIO.

Æris bracteæ in fictile immittantur, interpoſito inter ſingulas lamellas Salis communis, aut Sulphuris pulvere, atque ſic ſtratum ſuper ſtratum paretur, quod igne ſufficienter uratur. Calx vel cinis relictus aqua calida ſæpius affuſa edulcoretur, qui rubicundus evadit à Sale vel Nitro, niger autem ſi cum Sulphure præparetur.

*Interne non adhibetur, ſed tantummodo externe, ad Emplaſtra & Unguenta mundificantia & abſtergentia.*

## ÆTHIOPS ANTIMONIALIS.

℞. Antimonii crudi puriſſimi & ſubtiliſſime triti uncias duas,
Mercurii vivi depurati unciam unam.

Miſce, terantur in pulverem ſubtiliſſimum nigrum.

*Vires eædem cum Æthiope minerali.*

## ÆTHIOPS MINERALIS.

℞. Argenti vivi depurati,
Sulphuris citrini ana unciam unam.

Miſce exactiſſime in mortario lapideo, convertitur ſic Argentum vivum & Sulphur in pulverem nigrum.

*Eſt ſpecificum ad expellendos vermes remedium, ubi puero v. g. tredecim annorum ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis adhiberi poteſt, mane & veſperi, quarto tamen quovis die alvum laxando.*

## AGARICUS TROCHISCATUS.

*vid.*

Trochisci de Agarico.

## ALKERMES MINERALE.

*vid.*

Pulvis Carthusianorum.

## ALUMINIS USTIO.

℞. Aluminis quantum volueris.

Ponatur in fictile novum & tamdiu uratur, donec totum Alumen, ſpiritibus expulſis, poroſum & quaſi ſpumoſum evaſerit. Obtinetur quoque in deſtillatione Spiritus Aluminis.

*Ad carnes luxuriantes abſumendas adhibetur.*

## ANIMA RHABARBARI.

*vid.*

Tinctura Rhabarbari.

## ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

℞. Antimonii optimi libram unam,
Nitri depurati ſicciſſimi libras tres.

Pulveriſata & bene mixta, in crucibulum ignitum ſucceſſive injiciendo, detonentur & calcinentur; quo peracto, maſſa adhuc calida ſpatula eximatur, in aquam tepidam conjiciatur &, agitando cum ſpatula lignea, tota, exceptis quibuſdam craſſioribus minuſque ſolubilibus partibus, fundum petentibus, diſſolvatur; tunc liquor filtro infundatur &, aqua trajecta, nova affundatur pulveri in filtro relicto, ut edulcoretur tandemque exſiccetur. Aquæ ab edulcoratione reſiduæ exhalando & cryſtalliſando exhibent

## NITRUM ANTIMONIATUM,

Quod ſeorſim eſt aſſervandum.

*Antimonium diaphoreticum, quod debet eſſe albicantiſſimum, vim habet blande reſolventem,*

*diaphoreticam, hinc in febribus quibuſvis, affectibus catarrhalibus, rhevmaticis, arthriticis, ſcabioſis &c. uſurpatur. Doſis eſt ad ſcrupulum unum ad drachmam ſemis. Nitrum Antimoniatum refrigerat, urinam atque ſudorem ciet ſimulque leniter alvum laxat, conducit in febribus & faucium inflammationibus. Doſis eſt ad grana ſex, ad ſcrupulum; immiſcetur etiam Gargariſmatibus, & Epithematibus atque Clyſteribus. Sali huic impuro pro uſu interno præſtat Nitrum depuratum.*

## AQUA ANHALTINA Schroederi.

℞. Terebinthinæ electæ libram ſemis,
Thuris maſculi unciam unam,
Ligni Aloës pulveriſati uncias tres,
Granorum Maſtiches,
Caryophyllorum,
Nuciſtæ,
Cubebarum,
Cinamomi ana drachmas ſex,
Croci Orientalis drachmas duas ſemis,
Seminis Fœniculi,
Baccarum Lauri ana unciam ſemis.

Pulveriſata infundantur in Spiritus Vini libris quinque, digerantur per ſex dies, hinc deſtillentur ex Maris Balneo, & quod clarum eſt ſeparetur à turbido, ſic habebis *Aquam Anhaltinam Incompletam*; quæ etiam *Completa* fieri poteſt,

Moſchi, in petia ligati, grana quindecim

imponendo alembici roſtro, aut injiciendo liquori deſtillato, quod melius eſt, quam ſi Moſchus unâ deſtilletur, ſicuti etiam haud inepte quis faciet, ſi lignum quoque Aloës in liquore ſpirituoſo prolecto tantummodo infundat.

*Aqua hæc ob vim balſamicam & ſpirituoſam ingredientium, nauſeabundum licet ſaporem aliquantiſper conciliantium, adhiberi poterit in iis affectibus, ubi ſanguinis motu majore opus tonusque roborandus & viſcera confortanda. Hinc in- & externe locum habet in catarrhis & doloribus à cauſa, uti loquuntur, frigida exortis, in arthritide vaga, paralyſi, apoplexia, epilepſia, tremore, lethargo, vertigine, in animi deliquiis, affectibus ventriculi à cruditate acida & viſcida præſertim productis, in flatibus, colica variisque affectibus uterinis, ut & certo reſpectu in calculo; vim enim diureticam obtinet. In odontalgia quoque*

*conducet, ſi una aut altera gutta denti cavo inſtilletur. Interne datur per ſe ad unciam ſemis & ultra pro ratione circumſtantiarum, vel miſcetur cum aliis; externe membra eadem foventur, vel naribus in cephalalgia pertinaci attrahitur.*

## AQUA APOPLECTICA.

℞. Herbæ & Florum Salviæ uncias octo,
Majoranæ,
Serpilli ana unciam unam,
Florum Liliorum convallium uncias tres,
Lavendulæ,
Roris marini ana uncias duas,
Cinamomi electi unciam unam ſemis,
Cubebarum unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmas tres,
Macis drachmas duas.
Infunde in
Vini albi generoſi libris quatuordecim,
per plures dies, poſtea deſtilla.

*Vires ex nomine patent, & ob Sal volatile oleoſum in aliis quoque affectibus ſoporoſis & ſimilibus exhiberi poterit. Datur cochleatim vel per ſe, vel cum aliis mixta.*

## AQUA ASTHMATICA.

℞. Radicis Enulæ uncias duas,
Ireos Florentinæ unciam unam ſemis,
Herbæ Hyſſopi,
Pulmonariæ,
Salviæ hortenſis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Cinamomi acuti ana unciam ſemis,
Cardamomi drachmas duas,
Croci ſcrupulos duos,
Spiritus Vini libras tres,
Aquæ Scabioſæ,
Tuſſilaginis,
Veronicæ ana libram ſemis.

Digerantur per triduum, tum deſtillentur.

*Aſthmati potiſſimum dicata Aqua, unde & nomen habet, ſed ei præſertim ſuccurrit, quod ex craſſis pituitoſiſque humoribus ortum trahit. Haud infrequenter tamen etiam hæc Aqua ſpirituoſa uſurpatur, in, ſic dicta, intemperie ventriculi frigida, anorexia, dyſpepſia, flatibus, colica &c. Datur cochleatim, cochlear ſcilicet unum aut alterum.*

## AQUA BALSAMI EMBRYONUM.

℞. Nucis Moſchatæ uncias tres ſemis,

Caryophyllorum,
Cinamomi,
Zingiberis,
Cubebarum,
Granorum Paradiſi,
Zedoariæ ana uncias duas,
Macis unciam unam ſemis,
Galangæ drachmas ſex,
Croci drachmas duas,
Florum Tiliæ uncias ſex,
Lavendulæ,
Tunicæ,
Herbæ Salviæ,
Fœniculi ana uncias tres,
Menthæ criſpæ,
Radicum Pæoniæ,
Seminum ejusdem,
Carvi,
ViſciQuerni ana uncias duas.

Inciſa & contrita infundantur per viginti quatuor horas in loco calido, in

Vini generoſi menſuris quatuor,
Aquæ Borraginis,
Bugloſſi ana menſura una ſemis,
Florum Liliorum convallium menſura una,
Fragorum,
Roſarum ana menſura dimidia.

Poſtea leni calore deſtillentur.

*Aqua hæc ſpirituoſa commendatur fœminis, quæ ſæpius abortum paſſæ ſunt, itemque gravidis, ubi à ſubito terrore, aut alia cauſa langueſcunt: lypothimias, dolores & tormina ventris, atque inflationes in eis perſanat, infirmum fœtum roborat, unde nomen traxit, quin etiam parturientes in enixu adjuvat viresque reficit. Uſurpatur interne ad aliquot cochlearia, externe eadem fovendo abdomen. Supernatat huic Aquæ Oleum, quod exinde ſeparari & dictis uſibus dicari poteſt.*

## AQUA CALCIS VIVÆ.

℞. Calcis vivæ libram unam.

Eidem ſuperaffunde

Aquæ pluvialis vel fontanæ puræ libras ſex.

In digeſtione per viginti quatuor horas relicta filtretur, ſervetur liquor, qui recens paratus in uſum vocari debet.

*Externe deſiccat, abſtergit egregie ulcera impura & reſiſtit gangrænæ. Interne hodie vel per ſe, vel cum aliis mixta ſcopo commovendi, reſolvendi, ſiccandi, ſtimulandi, ſudorem & urinas movendi, in variis affectibus apud Gallos, Anglos, Batavos in frequenti uſu eſt.*

## AQUA CARBUNCULI AUGUSTANORUM.

℞. Florum Roris marini,
Liliorum convallium,
Violarum,
Borraginis ana uncias tres,
Lavendulæ unciam unam,
Herbæ Majoranæ,
Salviæ,
Nucis Moſchatæ,
Macis,
Zingiberis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Galangæ,
Baccarum Juniperi,
Viſci querni,
Seminis Pæoniæ ana unciam ſemis,
Cardamomi unciam unam,
Vini generoſi,
Aquæ Roſarum,
Fragorum,
Lavendulæ ana libras tres.

Fiat infuſio per octiduum in loco tepido, poſtea ſecundum artem deſtillatio. Liquori deſtillato, ſplendoris, vulgo expetiti, cauſa, aliquot foliola Auri, præſertim uſus tempore, immergi ſolent.

*Aqua Carbunculi ab Auguſtanis hoc modo correcta, Sale volatili oleoſo impragnata & ſpirituoſa, externe & interne uſurpari poterit, ubicunque calefaciendum & roborandum: hinc inter Aquas cephalicas, cordiales atque uterinas refertur commendaturque cochleatim præſertim in terrore. Extrinſecus creber ejus uſus eſt, in Epithematibus cordis ac pulſuum, in catarrhis frigidioribus, paralyticis membris, cephalalgia: frequenter etiam ad fœtum debilem confortandum hac Aqua fovetur abdomen.*

## AQUA CARMINATIVA DORNCRELLII CORRECTA, *Sive* AQUA CONTRA FLATUS SINE VINO.

℞. Florum Chamæmeli Romani uncias quindecim,
Corticum Aurantiorum exteriorum uncias duas,
Herbæ Abſinthii Pontici unciam ſemis,
Centaurii minoris,
Pulegii,
Origani ana drachmas duas,
Seminis Anethi uncias duas,
Aniſi;
Fœniculi ana unciam unam,
Carvi unciam ſemis,
Cardui Benedicti drachmas duas,
Seminis

Seminis Cardui Mariæ drachmas ſex.

Inciſa & contuſa infundantur per quatriduum in

Aqua Chamæmeli libris duodecim.

Poſtea deſtillentur.

*Coincidit hæc ratione virtutum cum Aqua Carminativa* SCHROEDERI, *excepto quod minus calida ſit ob abſentiam menſtrui vinoſi. Doſis eadem eſt, ſapor quoque idem, id eſt, non omnibus æque gratus.*

## AQUA CARMINATIVA SCHROEDERI,
*Sive*
AQUA CONTRA FLATUS CUM VINO.

℞. Florum Chamomillæ Romanæ uncias quindecim.

Incidantur, contundantur & infundantur per horas viginti quatuor in

Aquæ Chamomillæ libris quindecim,
Vini generoſi libris ſex.

Hinc exprime fortiſſime; in colatura iterum infundatur horis viginti quatuor aliorum

Florum Chamomillæ libra una.

Exprimantur, colentur; in colatura vero macerentur

Florum Chamomillæ unciæ ſex,
Flavedinis Corticum Aurantiorum uncia una ſemis,
Herbæ Abſinthii Pontici uncia una,
Centaurii minoris,
Pulegii,
Origani ana drachmæ decem,
Seminis Anethi unciæ tres,
Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam ſemis,
Carvi,
Cumini,
Cardui Benedicti,
Mariæ,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana uncia ſemis.

Stent horis viginti quatuor, tunc leni Maris Balnei calore deſtillentur.

*Aqua hæc magnarum ab Auctore dicitur eſſe virtutum, in morbis à flatibus ſubortis, e. g. paſſione colica, inflatione & ſimilibus; præter vim enim carminantem poſſidet quoque vim aliqualem paregoricam. Doſis uncia ſemis & ultra. Optandum tamen eſſet, ut Chamomilla gratiorem largiretur ſaporem.*

## AQUA CEPHALICA
### BOECLERI.

℞. Foliorum Roris marini cum floribus libras duas,
Florum Liliorum convallium uncias duas,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Caryophyllorum ana unciam unam,
Vini optimi menſuras ſex,
Spiritus Vini menſuram ſemis.

Facta digeſtione, deſtillatione proliciatur Aqua: ad

Aquæ hujus libram unam

addatur pro edulcoratione

Sacchari uncia una ſemis.

*Paucis quidem ex ingredientibus conſtat, nihilominus ſale volatili oleoſo, ſexui quoque ſequiori non adverſo turget; convenit in affectibus capitis, cephalalgia, clavo, affectibus ſoporoſis &c. nec in paſſionibus hyſtericis ultimum occupat locum. Ab uno ad duo exhibetur cochlearia.*

## AQUA CINAMOMI
### BUGLOSSATA.

℞. Cinamomi acuti libram ſemis,
Florum Bugloſſi unciam unam ſemis,
Aquæ Bugloſſæ menſuras tres.

Poſt debitam digeſtionem inſtituatur deſtillatio.

*Cordialis, ſtomachica atque carminativa eſt. Datur ad unum aut alterum cochleare.*

## AQUA CINAMOMI
### CYDONIATA.

℞. Succi Cydoniorum libras tres,
Cinamomi electi uncias duas ſemis.

Fiat per triduum infuſio & tum deſtillatio.

*Cordialis æque ac prior, imprimis autem commendatur in affectibus ventriculi & inteſtinorum, ubi roborandum & adſtringendum eſt; in anorexia, apepſia, nauſea, vomitu, diarrhœa, dyſenteria, cholera ſimilibuſque affectibus laudatur. Datur vel per ſe ad unum aut alterum cochlear, vel aliis immiſcetur mixturis.*

## AQUA CINAMOMI
### CUM VINO.

℞. Cinamomi electi & groſſo modo contuſi uncias quatuor,
Vini albi generoſi libras quatuor.

Deſtillentur ſecundum artem in Maris Balneo.

*Hæc ex Aquis Cinamomi maxime ſpirituoſa in morbis, à cauſa, ſic dicta, frigida enatis, confert, calefacit & roborat viſcera, pituitam & flatus incidit atque diſcutit, nauſeam ſiſtit, digeſtionem promovet & colicæ medetur. Refocillat egregie, in affectibus ſoporoſis conducit, ſicuti quoque menſes & partum promovet, inque variis uteri affectibus locum habet, modo reſpiciatur ad idioſyncraſiam. Doſis cochlear unum aut alterum.*

## AQUA CONFORTATIVA Officinalis.

℞. Aquæ Borraginis,
Bugloſſi,
Ceraſorum nigrorum,
Roſarum,
Florum Violarum ana uncias ſex,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Matris Perlarum præparatæ ſcrupulos duos,
Coralliorum alborum præparatorum drachmam unam,
Cornu Cervi uſti ſcrupulos quatuor,
Sacchari Canarienſis uncias quinque.

Miſce.

Melius Aquæ mixtæ, ut & pulveres ſeorſim ſervantur & tempore uſus additur

Aquæ mixtæ unciæ,
Pulveris compoſiti ſcrupulus unus,
Sacchari albi drachma ſemis.

*Hanc plebi mulierculisque tantopere decantatam Aquam, de faſtigio ſuo velle dejicere, eſſet crabrones irritare. Adhibent quippe in omni debilitate & languore virium, ſpiritus enim, uti loquuntur, animales puriores reddit, ſenſuum internorum & externorum organa reficit, atque ita quaſi generale confortans omni ætati, ſexui & morbo accommodatum exiſtit remedium. Quanta vis confortans & reſtaurans exinde ſit expectanda, ſaniores facile judicabunt. Exhibetur cochleatim.*

## AQUA CORNU CERVI Citrata.

℞. Herbæ recentis Acetoſæ,
Cardui Benedicti,
Meliſſæ,
Scabioſæ,
Scordii ana uncias duas,
Florum Roſarum pallidarum recentium,

Raſuræ Cornu Cervi ana libram ſemis,
Pomorum Citri, cum corticibus & ſeminibus, in fruſta minora conſciſſorum numero octo.

Cum

Aquæ fontanæ menſuris ſedecim

deſtilla, abſtrahendo dimidium quod ſerva.

*Analeptica deprædicatur & æſtum ſedans; vires quoque eidem alexipharmacæ adſcribuntur. Exhibetur cochleatim & mixturis immiſcetur.*

## AQUA EPILEPTICA Langii.

℞. Florum Liliorum convallium recentium uncias ſex,
Lavendulæ unciam unam,
Roris marini,
Stœchadis ana unciam ſemis,
Cinamomi drachmas ſex,
Nucis Moſchatæ unciam ſemis,
Piperis longi,
Cubebarum ana drachmas duas,
Viſci Querni,
Radicis Pæoniæ,
Dictamni noſtratis ana unciam ſemis,

Infundantur in

Vini generoſi libris octo,

per octiduum, poſtea deſtillentur.

*Commendatur hæc Aqua ad epilepſiam, vertiginem, lethargum, tum præſervandi cauſa omni tempore, proxime phaſes Lunæ antecedente, eandem uſurpando; tum ratione curandi in ipſo paroxyſmo, & reſtitutis paululum viribus illam aſſumendo. Uſurpatur etiam in dictis affectibus exterius, quo modo etiam à catarrhalibus affectibus præſervare dicitur. Cum ſit Aqua Sale volatili oleoſo imprægnata, quid valere queat quilibet comprehendet. Datur ut aliæ Aquæ ſpirituoſæ cochleatim.*

## AQUA FORTIS.

℞. Nitri purgati & ſiccati libras duas ſemis,
Vitrioli ad flavedinem calcicinati libras tres ſemis.

Pulveriſata miſce & retortæ terreæ aut vitreæ loricatæ, vel etiam retortæ vitreæ non loricatæ immitte, ita ut tertia pars vacua relinquatur, illam furno reverberii,

rii, hanc Balneo arenæ profundius impone atque applicato receptaculo ampliſſimo lutatisque debite juncturis, ignem ſuppedita, primo lenem, per gradus dein augendum, donec copioſæ nebulæ rubicundæ prodire incipiant & collum retortæ ac recipiens colorem ex flavo rubicundum induant: hoc gradu continua uſque dum ceſſantibus nebulis Spiritus omnis expulſus fuerit, qui collectus, inſigniter fumans, refrigeratis paululum vaſis delutatisque juncturis *in* vitrum, epiſtomio vitreo probe obturandum infundendus & ſervandus eſt.

*Solvendis præſertim Metallis Mineralibusque inſervit.*

## AQUA HYSTERICA OFFICINALIS.

℞. Herbæ Matricariæ,
Meliſſæ,
Menthæ,
Cinamomi,
Nucis Moſchatæ,
Macis ana uncias duas,
Florum Roris marini,
Salviæ ana unciam ſemis,
Caſtorei unciam unam ſemis,
Radicis Pæoniæ,
Meu ana unciam ſemis,
Vini albi generoſi libras octo,
Aquæ ſimplicis quantum ſufficit.

Digerantur per aliquot dies, deinde deſtillentur.

*Affectibus uterinis medetur, menſes, fœtum & ſecundinam pellit, flatus diſcutit. Doſis cochlear unum ad duo.*

## AQUA MASTICHINA.

℞. Maſtiches uncias quatuor,
Macis uncias duas,
Caryophyllorum unciam unam,
Cinamomi unciam ſemis.

Pulveriſentur omnia & commiſceantur, deinde affundantur illis

Vini generoſi albi libræ quatuor.

Stent in digeſtione per triduum, poſtea deſtillentur in arena, vel, quod melius eſt, per Maris Balneum, igne lento in Aquam.

*Concoctionem ventriculi juvat; nauſeam, ſingultum, vomitum, fluxus alvinos, diarrhœam, dyſenteriam &c. cohibet. Nauſeabunda cum ſit, & per ſe exhibita ingratior, exhibetur ut plurimum cum aliis. Doſis ad drachmas duas, unciam ſemis & ultra.*

## AQUA MELISSÆ
### Composita.

℞. Herbæ Meliſſæ Turcicæ recentis uncias quatuor,
Flavedinis Corticum Citri recentium uncias duas,
Nucis Moſchatæ,
Seminis Coriandri ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Cubebarum ana unciam ſemis.

Inciſis, contuſis affundantur

Spiritus Vini Gallici rectificati libræ duæ, unciæ octo,
Aquæ Meliſſæ unciæ ſedecim.

Macerentur per triduum, poſtea deſtillentur.

*Hæc Aqua*, *Gallis* Eau des Carmes *dicta*, *inter ſpirituoſas eminet*, *commendatur adverſus apoplexiam*, *paralyſin & quoscunque morbos nervorum*, *à cauſa frigida ortos. Stomachica & carminativa eſt egregia. Externe adhibetur ad ſpaſticos & rhevmaticos dolores*, *cephalalgiam*, *vomitum*, *colicam &c. Nec non refocillandi & excitandi ſcopo. Doſis à drachma una ad duas. Pro uſu externo Tinctura Croci tingitur.*

## AQUA MELLIS.

℞. Mellis quantum lubet.

Deſtilletur cum Aqua per veſicam uſque dum guttæ exſtillantes aceſcere incipiant.

*Inſervire poteſt interne ad urinam & menſes ciendos*, *utplurimum autem uſurpatur externe ad capillos adaugendos.*

## AQUA OPHTHALMICA
### *Sive*
### Collyrium Comitis du Bourg.

℞. Aloës Succotrinæ unciam ſemis,
Caryophyllorum uncias duas,
Tutiæ præparatæ uncias tres,
Camphoræ ſcrupulos quatuor,
Sacchari Candi albi uncias duas,
Vini Malvatici libras quatuor.

Digerantur per octo dies leni calore, adde poſtea

Aquæ Roſarum libram unam,
Chelidonii,
Euphraſiæ,
Fœniculi,
Rutæ ana uncias quatuor.

Digeſtione per triduum facta, filtretur & uſui ſervetur.

*Commendatur pro uſu externo, ad ophthalmiam, oculorum inflammationes, ardores, rubedines, lippitudines ſimilesque affectus, ubicunque deterſione blandaque adſtrictione opus eſt, inſtillando aliquot guttas in oculos, ut bene per eos diffundatur, tum etiam applicando cum linteo. Tepide autem non frigide ejusmodi Collyria adhibenda ſunt.*

## AQUA REGIA.

℞. Aquæ Fortis uncias quatuor,
Salis Ammoniaci puri unciam unam.

Solvatur & filtretur.
*Inſervit ceu menſtruum ad Aurum ſolvendum.*

## AQUA REGINÆ HUNGARIÆ.

Dimidiam cucurbitæ vitreæ, vel fictilis partem Floribus Roris marini, dum maxime vigent, collectis, repleto; his Spiritum Vini, ita ut commode macerentur Flores, affunde; Balneo Maris cucurbitam impone, eaque capitello, una cum excipulo ſuo, obtecta, accurate commiſſuras luto agglutina, ſubtusque per tres dies digeſtionis ignem adhibeto, quibus præteritis lutum tolle, deſtillatumque liquorem in cucurbitam effunde; alembicum iterum accommodato, ignemque augendo ſatis valide, ut exſtillet liquor guttatim, ita ut guttam unam mox alia ſequatur, cumque tertias partes ejus extraxeris, vel circiter, ignem ſubtrahito, vaſa refrigeſcere permittito, ex iisque lutum eximito, reperies in excipulo optimam Reginæ Hungariæ Aquam, quam in probe obturata phiala ſervabis: ſunt qui Floribus Folia Roris marini jungunt, ſed tunc non æque grata evadit.

*Aqua hæc ſpirituoſa*, verba ſunt DN. CHARRAS, *præſtantiſſima eſt adverſus quosvis cerebri frigidos affectus. Utiliſſime etiam in uſum venit in nervorum & artuum affectibus, contra rhevmatiſmum & arthritidem frigidam. Cephalalgiam ſanat, vertiginem diſſipat, ſurditati auriumque tinnitui medetur. In capitis contuſionibus, cunctarumque corporis partium, ſanguinem à concretione præſervando & coagulatum reſolvendo, utilis eſt. Virtutes quoque ſtomachicas, carminativas atque hyſtericas poſſidet. Interne aſſumitur à ſcrupulo uno, ad drachmam & paulo ultra, ex Vino vel Aqua Cephalica; externe pro refocillatione naribus admovetur & partes eadem foventur.*

## AQUA THERIACALIS BEZOARDICA.

℞. Radicis Dictamni albi,
Gentianæ,
Tormentillæ ana uncias duas,
Angelicæ,
Carlinæ,
Oſtrutii,
Petaſitidis,
Vincetoxici,
Zedoariæ,
Corticis Citri ana uncias tres,
Fraxini recentis,
Sambuci mediani recentis ana unciam unam ſemis,
Baccarum Juniperi recentium libram unam,
Foliorum Chamædryos,
Dictamni Cretici,
Scordii noſtratis ana unciam unam,
Santali Citrini drachmas tres,
Ligni Rhodii drachmas duas,

Inciſis & contuſis addantur

Theriacæ Andromachi unciæ duæ,
Mithridatii Damocratis uncia una,
Succi Acetoſæ,
Limonum,
Nucum Juglandium immaturarum,
Succi Pimpinellæ ana libra una ſemis,
Cardui Benedicti,
Rutæ,
Scordii noſtratis ana libra una,
Calendulæ,
Hederæ Terreſtris,
Meliſſæ hortenſis,
Scabioſæ ana unciæ octo,
Chelidonii,
Galegæ,
Aceti Lavendulæ,
*Roſati*,
Sambucini ana unciæ quatuor,
Rutacei libra una.

Poſt triduanam digeſtionem lento Balnei calore liquor evocetur, in cujus dimidia parte ſuspendatur

Camphoræ, in nodulo ſericeo ligatæ, drachma una;

altera vero pars pro iis, qui Camphoram non ferunt, ſeorſim ſervetur.

*Auctorem hæc Aqua agnoſcit* MINDERERUM, *à quo tanquam diaphoretica & alexipharmaca magnopere extollitur, in peſte, febribus malignis & contagioſis; exanthemata expellit. Exhibetur curative & præſervative ad cochlear unum aut alterum.*

AQUA

## AQUA AD TORMINA INFANTUM.

℞. Aquæ Chamomillæ,
Menthæ ana uncias duas,
Syrupi Chamomillæ,
Papaveris Rhœados ana unciam ſemis,

Miſce.

*Vires è titulo patent, quod nempe in colica infantili, flatus diſſipando & fibras inteſtinorum demulcendo, conveniat. Datur cochleatim.*

## AQUA VITÆ MULIERUM BOECLERI.

℞. Seminis Aniſi libram unam,
Cumini Romani,
Fœniculi,
Papaveris albi ana unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Granorum Paradiſi ana unciam unam,
Radicis Calami Aromatici,
Ireos Florentinæ,
Zedoariæ ana drachmas tres,
Spiritus Vini libras ſex.

Stent in leni digeſtione per octiduum, poſtea deſtillentur; liquori deſtillato adde

Sacchari albiſſimi uncias quatuor.

Filtra & ſerva pro uſu.

*Uterum confortat, ſuffocationes ejus compeſcit, flatus diſcutit: corroborat inſuper & calefacit ventriculum, caput ac reliqua viſcera, exſiccat catarrhos. Doſis à cochleari uno ad aliquot.*

## AQUA VULNERARIA *Sive* CATAPULTARUM.

℞. Foliorum & Radicum Conſolidæ majoris,
Artemiſiæ,
Bugloſſæ,
Salviæ ana uncias duas,
Abſinthii,
Agrimoniæ,
Bellidis majoris,
minoris,
Bœtonicæ,
Fœniculi,
Plantaginis,
Saniculæ,
Scrophulariæ magnæ,
Verbenæ ana unciam unam,
Ariſtolochiæ longæ,
Centaurii minoris,
Hyperici,
Hyſſopi,

Foliorum Menthæ,
Millefolii,
Nicotianæ,
Piloſellæ,
Telephii ſive Anacampſeri,
Veronicæ ana unciam ſemis.

Inciſis & contuſis in mortario adde

Vini generoſi libras viginti quatuor,

& ſi *Spirituoſam* deſideras, Vini loco

Spiritus Vini eandem quantitatem.

Stent in digeſtino in fimo equino, aut alio calore ſimili, per tres dies, poſtea deſtillentur per Veſicam igne moderato, Aqua prolecta cohobetur ſupra ſpecies ſequentes:

℞. Herbæ Salviæ nobilis uncias duas,
Abſinthii unciam unam,
Fœniculi unciam unam ſemis,
Menthæ,
Hyſſopi ana uncias duas,
Lavendulæ uncias tres.

*Commendatur hæc Aqua, quam* Eau d'Arquebuſade *appellare ſolent, ad contuſiones, ſanguinem coagulatum reſolvendum, ad dislocationes, reſolvendos tumores, mundificanda vulnera & ulcera, ad gangrænam præſervandam partesque roborandas: adhibetur utplurimum externe, quandoque tamen, ſed raro, interne.*

His Aquis destillatis compositis ſubjungendæ denique ſunt

## AQUÆ DESTILLATÆ SIMPLICES.

Deſtillantur autem hæc ex Vegetabilibus potiſſimum, horumque partibus, Radicibus, Foliis, Floribus, Fructibus, Baccis, Seminibus &c. partibus evaporabilibus ſeu volatilibus, plus minusve fœtis; idque vel ex Veſica ut plurimum, vel, quod melius ſemper tutiusque exiſtit, ex Cucurbita, Balneo Arenæ aut Maris impoſita: immittendo nimirum vaſi deſtillatorio ſpecies vel integras, vel, pro re nata, inciſas, aut contuſas; affundendo poſtea ipſis, pro diverſa copia humiditatis propriæ, diverſam quoque liquidi peregrini quantitatem ita, ut tertia vaſis pars vacua remaneat; macerando porro, ſi opus erit, per unum aut plures dies; tandem abſtrahendo liquorem quamdiu adhuc particulis ſpecie-

rum volatilibus ſufficienter imbutus ſatisque activus prodeat; cohobando etiam ultimo Aquas prolectas, quo eo penetrantiores activioresque evadant & aſſervando.

Liquidum peregrinum vero, quod ſpeciebus additur, cum ordinario ſit vel Aqua ſimplex, vel Vinum, hinc duo etiam harum Aquarum emergunt genera.

Primum illas complectitur, quæ cum Aqua ſimplici parantur, quæque ſimpliciter alias etiam vocari *ſolent*

## AQUÆ DESTILLATÆ.

Harum in noſtris Officinis aſſervantur *ſequentes.*

Aqua Acaciarum.
Alkekengi.
Aniſi.
Artemiſiæ.
Aurantiorum florum, ſive Aqua Namphæ, vel Naphæ.
Borraginis.
Bugloſſæ.
Cardui benedicti.
Mariæ.
Centaurei minoris.
Ceraſorum nigrorum.
Chærefolii.
Chamomillæ.
Chelidonii.
Cichorei.

Aqua Cochleariæ.
Cyani florum.
Endiviæ ſ. Intybi.
Euphraſiæ.
Fabarum florum.
Farfaræ ſ. Tuſſilaginis.
Fœniculi.
Fumariæ.
Galegæ.
Graminis.
Hyſſopi.
Intybi ſ. Endiviæ.
Iridis cœleſtis.
Juniperi è baccis.
Lactucæ.
Leviſtici.
Liliorum alborum.
convallium.
Majoranæ.
Matricariæ.
Meliſſæ.
Menthæ.
Nymphææ.
Pæoniæ florum.
Paralyſeos florum.
Perſicorum florum.
Petroſelini.
Plantaginis.
Prunellæ.
Pulegii.
Roſarum.
Rubi idæi.
Salviæ.
Sambuci.
Scabioſæ.
Scordii.

Aqua Scorzoneræ.
Sigilli Salomonis.
Taraxaci.
Tiliæ florum.
Tunicæ.
Tuſſilaginis ſ. Farfaræ.
Veronicæ.
Violarum.

Alterum AQUARUM DESTILLATARUM SIMPLICIUM genus conſtituunt illæ, quæ cum Vino deſtillantur, quæque ideo audiunt

## AQUÆ DESTILLATÆ CUM VINO,
*Sive*
AQUÆ VINOSÆ.

Tales apud nos proſtant

## AQUA LILIORUM CONVALLIUM CUM VINO.

## AQUA MELISSÆ CUM VINO.

## AQUA VERONICÆ CUM VINO.

## ARCANUM CORALLINUM,
*vid.*
MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

## ARCANUM DUPLICATUM.

Extrahitur cum Aqua calida ex capite mortuo, à deſtillatione Aquæ fortis, ex Vitriolo & Nitro paratæ reſiduo, qui liquor dein decantetur, & poſt filtrationem & debitam exhalationem, reponatur, ut in cryſtallos concreſcat, quæ exſiccentur.

Quod ſi caput mortuum in deſtillatione prægreſſa non ſatis calcinatum fuerit, ulteriori calcinatione vel liquoris Nitri Fixi inſtillatione, pro hoc negotio prius accommodari poterit.

*Polychreſtum eſt Sal medium digeſtivum, ubicunque viſcidum incidendum in primis viis. Datur ad ſcrupulum unum & ultra.*

## ASELLORUM PRÆPARATIO,
*vid.*
MILLEPEDUM PRÆPARATIO.

## AURUM FULMINANS.

℞. Auri laminati & in fruſta inciſi quantum vis.

Solve digerendo in Aqua Regia, ſolutioni infunde guttatim bonam quantitatem Olei Tartari per deliquium, donec ſolutio clara evadat & omne Aurum præcipitatum fuerit. Poſtea elue ſalſedinem aqua pluviali Crocumque Solis in umbra ſponte ſua, quod tutius, exſiccari permitte, ſic paratum eſt Aurum Fulminans.

Præter

*Præter vim fulminantem inſignem, vires quoque medicas obtinere dicitur diaphoreticas atque catharticas, & præſertim in epilepſia puerorum à torminibus alvi excitata commendatur. Datur ad granum unum, grana duo & paulo ultra.*

## BALSAMUM ARCÆI.

℞. Sevi Cervini uncias octo,
Terebinthinæ Venetæ,
Gummi Elemi ana uncias ſex,
Axungiæ Porci uncias quatuor.

Miſce.

*Eſt communiſſimum vulnerarium, conſolidat vulnera & ulcera fortificatque nervos: conducit etiam in luxationibus & contuſionibus. Tanquam digeſtivum quoque uſurpatur.*

## BALSAMUM CARYOPHYLLORUM.

℞. Olei deſtillati Caryophyllorum drachmam unam,
Nuciſtæ expreſſi & loti drachmas duas ſemis.

Fiat Balſamum juſtæ conſiſtentiæ, quod tingatur pulvere Caryophyllorum.

Eodem modo quoque paratur

## BALSAMUM CINAMOMI.

*Vires Balſamorum ſimplicium ex Oleorum ſpecificorum virtutibus æſtimandæ ſunt.*

## BALSAMUM HYSTERICUM.

℞. Ceræ albæ drachmas duas,
Olei Rutæ cocti unciam ſemis,
Succini deſtillati guttas ſedecim,
Gummi Galbani pulveriſati drachmas duas,
Extracti Caſtorei ſcrupulos duos.

Ceræ cum Oleis liquatæ, poſt aliqualem refrigerationem, miſceantur Galbanum & Extractum Caſtorei in Aceto deſtillato ſoluta, fiat lege artis Balſamum.

*In affectibus hyſtericis, naribus, temporibus, vertici & umbilico applicatur.*

## BALSAMUM LAVENDULÆ.

℞. Ceræ albæ unciam unam,
Olei Lavendulæ deſtillati uncias duas.

Miſce, fiat Balſamum, tingendum colore cœruleo, medi-

ante cœruleo montano aut Berolinenſi.

Eodem modo parantur

BALSAMUM RORIS MARINI.
BALSAMUM RUTÆ.
BALSAMUM SUCCINI.

Quodlibet ſuo modo tingendum.

BALSAMUM LOCATELLI.

℞. Ceræ Citrinæ,
Vini Hiſpanici ana libram unam,
Olei Olivarum libram unam ſemis.

Bulliant ad Vini conſumtionem, tum adde

Terebinthinæ Venetæ libram unam ſemis,
Santali rubri pulveriſati uncias duas.

Aſſidue moveantur omnia donec refrigerata fuerint & factum erit Balſamum, cui, majoris efficaciæ gratia, addantur

Balſami Peruviani unciæ tres.

*Commendatur ad detergenda & conſolidanda vulnera, præſertim recentia, ulcera & ambuſta; nec non ad contuſiones, læſiones internas, ulcera pulmonum, renum & veſicæ cum urinæ difficultate. Pro uſu interno datur ad unciam dimidiam drachmas ſex.*

BALSAMUM PERSICUM,
*BEAUME DE COMMANDEUR*
GALLIS DICTUM.

℞. Storacis Calamitæ,
Thuris maſculi ana uncias duas,
Balſami Indici ſicci unciam unam,
Benzoës uncias tres,
Aloës Succotrinæ,
Myrrhæ ana unciam ſemis,
Angelicæ odoratæ drachmas tres,
Florum Hyperici unciam unam.

Miſce, infundantur in

Spiritus Vini rectificatiſſimi unciis triginta ſex.

Inſolentur per menſem & filtrentur.

*Completus* redditur addendo

Ambræ gryſeæ grana ſex,
Moſchi grana quinque.

*Eſſentia hæc Balſamica convenit in vulneribus & ulceribus etiam cancroſis, morſibus animalium venenatorum & rabidorum. Conducit quoque ad catarrhos & ad dolores podagricos, dentium atque hæmorrhoidum. Non debet calefieri ſed frigide*

*applicari; commendatur quoque interne ad affectus ſtomachi, ad colicam præſertim flatulentam, ut & ad febres. Datur ad decem ad quindecim guttas.*

BALSAMUM SULPHURIS ANISATUM.

℞. Olei Aniſi uncias ſex,
Florum Sulphuris unciam unam.

Digerantur donec Oleum Aniſi colore rubicundiſſimo tinctum ſit, quod filtratum ſervetur.

*Pectori eſt dicatum, imprimis autem ad ejus ulcera laudatur. Commendatur etiam in aſthmate morbisque frigidis atque flatulentis. Datur à guttis tribus ad decem in vehiculo.*

BALSAMUM SULPHURIS RULANDI.

℞. Florum Sulphuris uncias tres,
Olei Nucum uncias octo,
Vini rubri,
Aceti ana uncias tres.

Digerantur per octiduum, poſtea coquantur ad conſumtionem Vini & Aceti, tum coletur & uſui ſervetur Balſamum, per tempus aperto relicto vaſe, quo empyrevma pereat.

*Diſcutit atque reſolvit, digerit ac ulcera mundificat, dolores quoque mitigat & imprimis ad ambuſta conducit.*

BALSAMUM SULPHURIS TEREBINTHINATUM.

Paratur ut Balſamum Sulphuris Aniſatum cum Oleo Terebinthinæ.

*Exulcerationibus, tam internis quam externis, conducit, in gonorrhea prodeſt. Præſervat à putredine; hinc etiam in peſte & morbis malignis laudatur.*

BALSAMUM TRANQUILLANS.

℞. Foliorum Belladonnæ,
Hyoſcyami,
Mandragoræ,
Nicotianæ,
Papaveris albi,
nigri,
Solani Officinarum,
Stramonii vulgaris ana uncias quatuor.
Florum Abſinthii utriusque,
Coſti Hortenſis,
Hyperici,
Hyſſopi,
Lavendulæ,
Majoranæ,
Menthæ,

Florum Perſicariæ,
Roris marini,
Rutæ,
*vel* Summitatum Salviæ,
Sambuci,
Thymi ana unciam unam,
Bufonum numero quinque.

Herbæ, quæ inodoræ ſunt, minutim conciſæ, injiciantur per vices in

Olei Olivarum ferventis libras quinque.

Coquantur ad humidi conſumtionem, hac vero ratione, ut manipulus non injiciatur in Oleum, niſi prior exſiccatus demptusque fuerit. Herbis tandem coctis & extractis, Bufones vivi in Oleum conjiciantur & ad exſiccationem coquantur: tum ſemotis Bufonibus in Oleum immittantur flores & ſummitates herbarum fragrantium conciſæ, macerentur ad Solem per quindecim dies, colatum Oleum uſui ſervetur.

*Vulnerarium & paregoricum eſt.*

## BALSAMUM VITÆ HOFFMANNI.

℞. Olei Caryophyllorum drachmam unam ſemis,
Olei de Citro Italici,
Lavendulæ,
Ligni Rhodii,
Macis,
Roris marini ana drachmam unam,
Cinamomi,
Majoranæ,
Eſſentiæ Ambræ veræ ana drachmam ſemis,

vel in hujus defectu

Ambræ gryſeæ ſcrupulum ſemis.
Balſami *Peruviani* drachmam unam.

Mixta inſtilla

Salis *Tartari calidi* ac ſicciſſimi unciis duabus,

vel in cucurbita, vel in mortario lapideo, mixtionem agitatione cum bacillo vel piſtillo promovendo; poſt affunde

Spiritus Meliſſæ abſtractitii,
vel
Spiritus *Vini Gallici* dephlegmatiſſimi, ſuper ſpecies Balſamicas abſtracti, uncias decem.

Digere calore moderato in Balneo Arenæ, donec Olea bene ſoluta ſint, liquorem ſaturatum provide decanta & ſerva. Quod ſi *Completum* deſideres, adde

Liquoris parti dimidiæ,
Moſchi in Spiritu Roſarum ſoluti grana quinque,

denuo digere & ſerva.

*Militat hoc Balſamum inter præſtantiſſima remedia, calefacientia, commoventia, diſcutientia, roborantia, ſe-& excretiones, maxime periphericam, promoventia, nervina, cephalica, cardiaca, ſtomachica &c. Interne in affectibus ſoporoſis, ventriculi & inteſtinorum, ab inſigni partium ſolidarum atonia & debilitate, nec non mucido viſcida humorum indole oriundis, in ſubjectis frigidis, humidis & ſenibus adhibetur ad aliquot guttulas, vel cum fruſtulo Sacchari, vel in vehiculo conveniente. Externe vero excitandi, diſcutiendi & roborandi ſcopo in dictis ſimilibusque malis vel perſe, vel Spiritu quodam ardente ſolutum & in linimentis naribus, auribus, vertici, nuchæ, pulſibus applicatur.*

## BALSAMUM VULNERARIUM VIRIDE.

℞. Olei Seminis Lini expreſſi,
Olivarum ana uncias ſex,
Laurini unciam unam,
Terebinthinæ Venetæ uncias duas.

Simul igne lento liqueſcant, refrigeratisque permiſce

Viridis Æris ſubtiliſſime triti drachmas tres,
Aloës Succotrinæ pulveriſatæ drachmas duas,
Vitrioli albi drachmam unam ſemis,
Olei ſtillatitii Baccarum Juniperi unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmam unam.

Et factum erit Balſamum.

*Conducit ad mundificanda vulnera & ulcera, ad inducendam carnem & cicatricem, laudatur quoque ad morſus animalium venenatorum.*

## BEZOARDICUM MARTIALE,
*ſeu*
PULVIS CACHECTICUS LUDOVICI.

℞. Limaturæ Martis uncias quatuor.

Immitte in crucibulum, inter carbones collocatum, donec probe candeat, tunc adde

Antimonii pulveriſati uncias ſex.

Quibus bene fluentibus ſucceſſive injiciantur

Nitri depurati libræ duæ ſemis.

Detonentur calcinenturque, ſubinde agitando, & poſtea maſſa Aqua tepida edulcoretur.

*Prodeſt ubi tranſpiratio promovenda & ſimul roborandum. Vocatur etiam* Specificum Stomachicum Poterii.

## BOLI ARMENÆ Præparatio.

Bolus in Aqua pura agitetur & Aqua, tenuiſſimo polline ſaturata turbidaque facta, effundatur, ac nova ſuperinfuſa Aqua, labor toties repetatur, donec clara remaneat, lapilli autem & arenulæ in fundo hæreant, tandem pulvisculus ita decantatus paulatim ſubſidere permittatur, atque effuſa Aqua exſiccetur.

*Vires obtinet adſtringentes. Exhibetur ad ſcrupulum unum, duos &c.*

## BUTYRUM ANTIMONII ET CINNABARIS.

℞. Antimonii Hungarici partem unam,
Mercurii Sublimati corroſivi partes tres.

Subtiliſſime pulveriſata & in mortario lapideo exacte mixta, immitte in retortam terream aut vitream loricatam, vel vitream non loricatam; illam igni aperto, hanc Balneo Arenæ profundius impone &, applicato recipiente commiſſurisque lutatis, igne per gradus aucto, ſublimationem inſtitue. Sic primo materia, Butyrum conſiſtentia & habitu externo referens, Butyrum Antimonii inde dicta, partim in excipulum defluet, partim in collo retortæ coagulata hærebit, quam, applicatis provide carbonibus candentibus, liquefacies, ut pariter in receptaculum deſtillet. Remoto hoc recipiente, alium mox applica & tranſibit quædam portio Mercurii reviſicati, nec non Butyri Antimonii impuri, in collo vero materies variorum colorum hærebit. Tandem igne ad ſummum uſque gradum aucto, imo ſub finem ſuperimpoſito arenæ, ſupra retortam igne, ut vocant, ſuppreſſionis, ad initium colli retortæ maſſa compacta, dura, opaca, rubra, ſplendens ſublimabitur, quæ refrigerata & fracta retorta, exemta, purgata, pulveriſata & lota Cinnabarim Antimonii ſiſtit. Ut purior & elegantior evadat, ſemel adhuc eam, aut pluries vel ſolam, vel cum quarta parte Cornu Cervi uſti, aut etiam

octava parte Salis Àlcali fixi vel addita nova portione Mercurii Vivi, ſublimatione, quo citiori, eo meliori, rectificabis. Sicuti quoque Butyrum aut per ſubſidentiam, aut novam deſtillationem depurabis.

*Butyrum ſive Oleum Antimonii glaciale obtinet vim cauſticam, ſuperfluam carnem exedit, & ulcera calloſa abſtergit. Uſurpatur ad Mercurium Vitæ exinde parandum per Aquæ affuſionem. Cinnabari Antimonii adſcribuntur quidem vires inſignes anodynæ, antiſpaſmodicæ, antepilepticæ, nervinæ, cephalicæ, cardiacæ & quam plures aliæ. Qualis vero à corpore adeo refractario, quod nonniſi intenſiore Vulcani tortura, aut coctione completa & protracta cum lixiviis alcalinis concentratis in partes diſſimilares reſolvi poteſt; ſolutionem vero in partes ſimilares in omnibus reliquis menſtruis reſpuit; in corpore humano expectandus ſit effectus, ſanus quilibet facile perſpicit. Doſis ab aliquot granis ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis &c. Ad colorem & fucum medicamentis inducendum locum habere poterit.*

## BUTYRUM CACAO.

Paratur vel èxpreſſione, vel coctione.

Priori modo nuclei Cacao poſt lenem toſtionem decorticantur, in mortario calido contunduntur & dehinc prelo calefacto exprimuntur.

Poſteriori modo,

Fructuum Cacao leviter torrefactorum, à cortice mundatorum & contuſorum libra una,

coquitur in

Aquæ communis libris octo,

donec oleum ſupernatet, quod concretum ex Aqua refrigerata colligitur & ablutione ſæpius repetita, per Aquam calidam albicans redditur.

*Demulcet, emollit, pectorale, antinephriticum & antiſpaſmodicum egregium exiſtit. Datur à drachma una ad duas vel tres, ex Lacte, Juſculo, infuſo Thée, vel decocto Caffée; ut & in Eclegmatibus. Externe in fiſſuris labiorum & mammarum; nec non hæmorrhoidibus cœcis conducit.*

## BUTYRUM MAJORANÆ.

Fit coquendo

Summitates Majoranæ,
Butyri partes ànaticas,

donec Butyrum bene ſit imprægnatum & viride.

*Conducit in affectibus narium, earundem ſcilicet obſtructione, præſertim in infantibus. Illinitur radici, dorſo & cavitatibus naſi.*

## CANDELÆ FUMALES.

℞. Gummi Benzoës,
Storacis Calamitæ ana uncias ſex,
Maſtiches,
Olibani ana unciam unam ſemis,
Corticis Caſcarillæ unciam unam,
Sacchari uncias ſex,
Storacis liquidæ uncias octo,
Terebinthinæ Venetæ uncias ſex,
Carbonum pulveriſatorum libras duas ſemis.

Fiat cum Mucilagine Tragacanthi maſſa, ex qua formentur Candelæ.

## CINNABARIS ANTIMONII.

*vid.*

## BUTYRUM ANTIMONII.

## CINNABARIS FACTITIA.

℞. Mercurii vivi depurati partes quatuor,
Sulphuris citrini partem unam.

Sulphuri in tigillo lato argillaceo liquefacto infunde paulatim Mercurium &, agitando cum bacillo ligneo, probe permiſce ut nullus amplius Mercurius appareat. Maſſam hanc pulveriſatam in ollis, aut phialis vitreis loricatis, aut etiam non loricatis, igni aperto exponendis, vel Balneo Arenæ profundius immergendis, igne primo leni ad vaſorum incaleſcentiam, poſtea ſtatim ad ſummum uſque gradum citiſſime aucto ſublima, habebis maſſam duram, rubicundam, quam ab impuritatibus liberatam pulveriſabis, Aqua lavabis & rurſus exſiccabis. Quod ſi forſan hæc Cinnabaris non ſatis pura & elegans videatur, poterit eadem ratione ac Cinnabaris Antimonii rectificari.

*Convenit ratione virium & uſus cum Cinnabare Antimonii & eadem quoque doſi datur, quidquid etiam in contrarium afferant multi.*

## CINNABARIS NATIVA PRÆPARATA.

Præparatur ſæpius ſublimando & ultimo lævigando cum Aqua ſimplici.

*Pretio non viribus Cinnabari vulgari præſtat.*

CONCHÆ

## CONCHÆ CITRATÆ.

℞. Concharum, à muco mundatarum & ſubtiliſſime pulveriſatarum libram unam,

affundatur

Succi Citri libra ſemis.

Leni calore in patina vitrea exſiccatæ ſerventur ad uſum.

*Abſorbent pauliſper, magis tamen reſolvunt & diaphoreticæ ac diureticæ exiſtunt. Doſis à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis.*

## CONCHÆ PRÆPARATÆ.

Calcinantur & lævigantur in porphyrite, irrorando ſæpius Aqua ſimplici, &, vel in pulverem, vel paſtillos redactæ, ſervantur.

*Acidum abſorbent, ſudorem & urinam cient. Doſis ad ſcrupulum unum ad drachmam unam.*

## CONDITA.

Condiuntur

Aurantiorum Cortices,
Calamus Aromaticus,
Citri Cortices,
Enulæ Radices,
Nux Indica,
Nuces Juglandes,
Satyrii Radices,
Zingiber.

Ex his quæ apud nos condiri poſſunt, Saccharo clarificato, ut artis eſt, condiantur, reliqua ad nos allata, ut rite ſe habeant, Pharmacopœus videat.

## CONFECTIO ALKERMES Completa et Incompleta.

℞. Succi Pomorum dulcium,
Sacchari albiſſimi ana libram unam ſemis.

Coquantur ad craſſam conſiſtentiam, poſtea addatur

Succi Granorum Kermes, Monſpelio allati, ſpiſſioris libra una ſemis.

Ab igne ſepoſitis & tepidis adhuc miſceantur

Ligni Aloës,
Cinamomi ana drachmæ ſex.

Et pro *Completa*

Ambræ, in portione Succi Pomorum ſolutæ, drachmæ duæ,
Moſchi, in Spiritu Roſarum ſoluti, drachma una.

Fiat Electuarium.

*Virtutes ei adſcribuntur cordiales & omnium viſcerum con-*

*fortativæ atque lætificantes & aphrodiſiacæ. Doſis à ſcrupulo uno ad drachmam unam.*

## CONFECTIO ANISI LAXATIVA.

℞. Zingiberis albi drachmam unam ſemis,
Cinamomi,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana drachmam unam,
Maſtichis electæ ſcrupulos quatuor,
Dacrydii præparati uncias tres ſemis.

Fiat pulvis ſubtiliſſimus, poſtea adde

Aniſi integri uncias ſex,
Sacchari libras quinque uncias quatuor.

Fiat cum prædicto pulvere Confectio.

*Qui Acidulas bibunt hac utuntur, ut flatus diſſipent & Acidulæ per alvum operentur facilius. Aſſumitur ad drachmam unam aut alteram, ad unciam ſemis.*

## CONFECTIO ANISI SIMPLEX.

Fit ſimpliciter ſemen Saccharo incruſtando.

*Flatus diſcutit & concoctionem juvat.*

Eodem modo fit

## CONFECTIO CUBEBARUM ET SEMINIS CINÆ.

*Prior obtinet vim cephalicam, ſtomachicam atque carminativam; poſterior ob vim anthelminticam celebris eſt.*

## CONFECTIO HAMECH.

℞. Polypodii Querni, ſiccati & contuſi, uncias quatuor ſemis,
Prunorum dulcium ſiccatorum & enucleatorum,
Paſſularum, rejectis acinis, ana libram unam uncias quatuor,
Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum ana uncias quatuor,
Foliorum ſiccatorum Abſinthii vulgaris unciam unam,
Seminum Violarum contuſorum uncias tres & drachmas ſex,

Summitatum ſiccatarum
Thymi uncias duas,
Epithymi uncias quatuor.

Macerentur per viginti quatuor horas blando calore, in vaſe fictili, vernigine linito, identidem agitando cum

Seri Lactis Vaccini libris viginti quatuor.

Deinde ferveſcant per horam unam, fiat colatura cum forti expreſſione. Magmati reſiduo, manibus fricato, affundatur Aquæ communis quantitas ſufficiens, bulliant per horam unam, fiat colatura fortiter exprimenda & cum priori miſcenda. Interim

℞. Rhabarbari optimi minutim conciſi uncias quinque,
Foliorum Sennæ mundatorum uncias duas,
Pulpæ Colocynthidos minutim inciſæ & à ſeminibus repurgatæ,
Agarici albi minutim ſecti ana uncias quatuor ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Roſarum rubrarum ſiccatarum ana unciam unam ſemis,

Macerentur per viginti quatuor horas leni calore, identidem agitando, in

Succi Fumariæ libris quatuor,
Seri Lactis Vaccini defœcati libris viginti quatuor.

Deinde bulliant per horas duas & colentur, magma prælo ſubigendo. Quod quidem magma, manibus fricatum, ferveſcat denuo in Aquæ communis ſufficiente quantitate. Decoctum, fortiter expreſſum, cum priori miſceatur & utrumque cum primo decocto, ſupra deſcripto, confundatur. Totum Decoctum, per reſidentiam defœcatum & poſtea per inclinationem effuſum, blando calore vaporet ad tertiæ partis diminutionem, tum adde

Sacchari albi libras quatuor.

Coquantur in Balneo Maris ad extracti mollioris ſpiſſitudinem, cui ſenſim permiſceantur

Mannæ unciæ quatuor,
Pulparum recentium Caſſiæ fiſtulæ unciæ octo,
Tamarindorum unciæ decem.

Semi refrigeratis adjiciatur & permiſceatur, ſecundum artem, pulvis ſequens ſubtiliſſime tritus.

℞. Dacrydii uncias tres,
Myrobalanorum Citrinarum,
Chebularum,
Indarum ana unciam unam,
Belliricarum,
Emblicarum.
Rhabarbari optimi,
Seminis Fumariæ ana drachmas ſex,
Aniſi,
Spicæ Nardi ana unciam ſemis.

Fiat pulvis lege artis Electuario miſcendus & perfectum erit Electuarium.

*Medicamentum hoc nauſeabundum, apud Gallos adhuc uſitatum, tormina excitat, fortiter purgat, præcipue in morbis venereis adhibetur. Doſis eſt à drachma, ad drachmas ſex, ad unciam unam.*

## CONFECTIO DE HYACINTHO.

℞. Radicis Dictamni albi,
Tormentillæ,
Florum Roſarum rubrarum,
Foliorum Dictamni Cretici,
Seminis Acetoſæ,
Seminis Cardui Benedicti,
Citri,
Portulacæ,
Granorum Kermes ana ſcrupulos quatuor,
Caryophyllorum drachmam unam.

Inciſa & contuſa infundantur per noctem, mane decoquantur in vaſe ſtanneo clauſo & exprimantur. In decocto expreſſo decoque
Croci Orientalis ſcrupulos quatuor.

Fiat ex decocto colato &
Sacchari libris duabus,
Syrupus ſpiſſæ conſiſtentiæ, cui refrigerato adde
Lapidis Hyacinthi præparati,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Boli Armenæ præparatæ ana unciam ſemis,
Ligni Santali albi,
citrini,
rubri ana ſcrupulos quatuor,
Foliorum Auri numero tria.

Miſce, fiat Confectio, quæ additione
Ambræ veræ,
Moſchi ana ſcrupuli unius,
*Completa* redditur.

*Virtutes*

*Virtutes habet cordiales, ſtomachicas, adſtringentes, in fluxibus alvi & vomitu ſiſtendis. Doſis à drachma ſemis, ad drachmam unam & ultra.*

## CONSERVÆ.

Proſtant apud nos

Conſerva Bellidis,
Bugloſſæ,
Centaurei minoris,
Nymphææ Florum,
Perſicorum Florum,
Roſarum pallidarum,
rubrarum,
Scabioſæ,
Tunicæ Florum.

Flores ac Herbæ minutiſſime incidantur & ſingulis libris addantur

Sacchari albiſſimi libræ duæ.

## CONSERVA VISCERALIS.

℞. Salis Abſinthii uncias tres & drachmas ſex,
Tartari Vitriolati Tackenii,
Arcani duplicati ana drachmas ſeptem.

Subtiliſſime pulveriſatis inſperge

Spiritus Vitrioli drachmas duas,
Olei deſtillati Aniſi,
Citri ana drachmam unam,
Fœniculi drachmam ſemis,
Cinamomi ſcrupulum unum,
Menthæ guttas quatuor.

Miſce, continuo exactiſſime ſpatula lignea agitando, adde

Pulveris Sacchari candi albi uncias octo,
Cinamomi drachmas duas,
Caryophyllorum,
Macis,
Zingiberis ana drachmam unam,
Conſervæ Roſarum rubrarum uncias ſedecim,
Tunicæ uncias octo.

Miſce & ſerva pro uſu.

*Conſerva eſt polychreſta, viſcerum obſtructiones, uti* Lentilius *loquitur, hepatis & lienis ita aperiens, ut ſimul ea, cum*

*primis ventriculum & caput roboret, hinc in cachexia, ictero, hydrope, affectibus ſpleneticis, hyſtericis, hypochondriacis, melancholicis & quibuscunque, ab acido viſcido provenientibus, item in febribus, ubi commode Electuariis antifebrilibus miſcetur, uſurpatur cum ſucceſſu. Doſis per ſe à drachma dimidia ad drachmam unam.*

## CORALLIA ALBA ET RUBRA PRÆPARATA.

Præparantur lævigatione ac tritura uſque dum nullum amplius inter dentes edant ſtridorem; conſpergendo ſubinde inter lævigandum Aqua ſimplici &, vel in pulverem, vel paſtillos redacta ſervando.

*Commendantur pro ſcopo abſorbendi, confortandi & adſtringendi. Doſis ad drachmam ſemis, unam & ultra.*

## CORNU CERVI PHILOSOPHICE PRÆPARATUM.

℞. Cornu Cervi in majora fruſta ſecti quantum placet.

Coquantur in ſufficiente quantitate Aquæ fontanæ, donec molleſcant, poſtea medulla & cortex exterior nigricans cultro ſeparentur, & Cornu albicans exſiccetur, in pulverem ſubtiliſſimum redigatur, aut in paſtillos formetur.

*Abſorbet acidum, diapnoicum eſt. Datur in febribus intermittentibus & continuis, variolis & morbillis; ut & in alvi fluxibus, ad drachmam ſemis & ultra.*

## CORNU CERVI USTUM PRÆPARATUM.

Præparatur ut Corallia.

*Siccat & adſtringit, præterea ſcopo anthelmintico adhibetur. Doſis ad drachmam unam uſque.*

## CREMOR ET CRYSTALLI TARTARI.

℞. Tartari albi, Aqua calida aliquoties ab impuritatibus externis abluti & in pulverem ſubtilem contuſi, libras duas.

Coquendo in ſufficiente quantitate Aquæ fontanæ in vaſe figulino diſſolvantur & fervens adhuc decoctum trajiciatur per manicam Hippocratis in aliud vas firmum; ubi refrixerit, Cryſtallos exhibet, in ſuperficie autem liquoris cruſtam, Cremoris nomine notam, qui, cochleari ablatus, dein cum Cryſtallis aliquoties frigida Aqua abluatur & exſiccatus ſuper Porphyrite in pulverem albiſſimum conteratur.

*Sal hoc Eſſentiale Vini hodiernis temporibus, vix aliter quam adjuvantis loco, laxantibus additur; aut præparationi aliorum medicamentorum & Sero Lactis conficiendo adhibetur.*

## CRETA ALBA
### Præparata.

Eodem modo ac Conchæ præparatur.

*Acidum abſorbet, in ardore ſtomachi conducit. Doſis ad ſcrupulum unum uſque ad drachmam.*

## CROCUS MARTIS
### Adstringens.

℞. Limaturæ Martis quantum lubet.

In patella terrea non vitreata, vehementiſſimo igne reverberii, eouſque calcina, donec ſpongioſa in ſuperficie appareat, ac in florem rubicundiſſimum abeat; poſtea partes ſubtiliores Aqua elue & cum reſiduo laborem repete.

*Commendatur in fluxibus alvinis aliisque. Doſis eſt ad grana quindecim, ad drachmam ſemis. Magis tamen externo uſui in Emplaſtris exſiccantibus & adſtringentibus inſervit.*

## CROCUS MARTIS ANTIMONIATUS.
### Stahlii.

Scorias Reguli Antimonii Martialis groſſiuſcule contuſas & patinæ fundi latioris injectas, aëri in cella, vel alio loco umbroſo, per tempus expone, quo fatiſcant in pulverem. Huic Aquam tepidam ſuperfunde, liquorem, agitatione cum ſpatula turbidum redditum, à partibus craſſioribus, fundum cito petentibus, decanta, laboremque hunc, Aquam denuo affundendo, agitando & decantando, tamdiu repete, donec Aqua affuſa non amplius turbetur, ſed limpida maneat. Liquoribus decantatis, poſtmodum confuſis, poſt aliquam moram ſubſidebit pulvis, quem collige, debite exſicca, & cum triplo Nitri in crucibulo detona, tandemque edulcora & ſicca, habebis valde ſubtilem Crocum Martis aperitivum. Ex graviori illa, ſub prima lotura ſponte & citius præcipitata portione detonando, ut expoſitum fuit, edulcorando & exſiccando, parare quoque poteris priori craſſiorem, rudiorem & obſcurioris coloris Crocum Martis adſtringentem.

*Ob partes Regulinas Antimoniales commixtas magis quam*

*reliqui Croci Martiales reſolvit & leniter commovendo humores tranſpirationem promovet. Commendatur ſpecifice in febribus intermittentibus. Datur ad grana duo, ſex, decem, duodecim.*

## CROCUS MARTIS
### Aperiens.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ quantum placet.

Extendatur in patina & humectetur Aqua ſimplici, vel pluviali, exponatur radiis Solaribus, aut alii calori & ſiccetur: rurſus teratur & iterato humectetur & ſiccetur; laborque tamdiu reiteretur, donec limatura in pulverem croceum perfectiſſime fuerit mutata.

*Aperientem ob vim commendatur ad obſtructiones meſenterii, pancreatis, hepatis & lienis; convenit in menſium obſtructione, chloroſi & cachexia laborantibus. Doſis ad ſcrupulum unum, ad ſcrupulos duos.*

## CROCUS METALLORUM
### Rulandi.

℞. Antimonii Hungarici,
Nitri ana libram unam.

Seorſim optime pulveriſata & mixta detona, vel in mortario ferreo accendendo mixturam cum carbone ardente, vel ſucceſſive injiciendo in crucibulum intra carbones candentes candens. Detonatione peracta, maſſam inferiorem compactam, ſplendentem atque hepar colore referentem à Scoriis ſepara & vel ita, ſub nomine *Hepatis Antimonii*, ſerva, vel in pulverem ſubtilem tritura redige & Aqua frigida probe edulcora, ſic habebis *Crocum Metallorum.*

*Vomitum fortiſſime ad aliquot grana datus ciet: ſed per ſe non debet niſi brutis adhiberi, inſervit alias pro Tartaro Emetico parando.*

## CRYSTALLUS MINERALIS.
*vid.*
## SAL PRUNELLÆ.

## DIACYDONIUM JALAPPINUM.

℞. Reſinæ Jalappæ optimæ uncias duas.

Terantur probe cum

Nucleorum Pini recentium uncia ſemis.

Frigide miſceantur cum

Diacydonii lucidi ſimplicis libris duabus, unciis octo.

DIACY-

## DIACYDONIUM LUCIDUM
### Jalappinum in Scatulis.

℞. Magiſterii Jalappæ uncias quatuor.

Solvatur in

Spiritus Vini optime rectificati libra una.

Permiſceatur diligentiſſime agitando cum

Gelatinæ Cydoniatæ, ad perfectam conſiſtentiam coctæ, libris quinque, unciis quatuor.

Indatur ſcatulis.

*Inſerviunt hæc Diacydonia Jalappina communiſſime ſcopo purgandi. Poſterius per ſe infantibus & illis, qui alia remedia reſpuunt, datur ad drachmas tres, ad unciam ſemis. Uncia ſemis continet Reſinæ grana circiter quatuordecim. Prius commodiſſime Potiunculis & Mixturis etiam aquoſis laxativis & Electuariis miſcetur.*

## DIACYDONIUM LUCIDUM
### Simplex.

℞. Pomorum Cydoniorum, bene maturorum & in fruſta diſſectorum, libras duodecim.

Coque cum

Aquæ fontanæ libris triginta ſex.

Ad medietatis conſumtionem, removeatur ab igne: ſeponatur per diem: exprimatur.

℞. Colaturæ, per ſubſidentiam clarificatæ, libras quatuor,

Sacchari libras duas.

Coquantur ad conſiſtentiam Gelatinæ.

*Conducit pro roborando ſtomacho alvique fluxibus ſedandis. Sumitur drachma una aut altera pro doſi.*

## EBUR USTUM,
### *ſive*
### Spodium ex Ebore.

℞. Eboris ſelecti, in tenues lamellas ſeu fruſtula diſſecti, libram unam.

Id in fictili mundo, quod in ſummitate nonnihil apertum ſit, ne Ebur inter urendum nigreſcat, in fornace figuli, aut alio forti calore ad perfectionem, id eſt albedinem calcinetur; tandem cum Aqua lævigetur & exſiccetur.

*Abſorbet & adſtringit. Datur ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.*

## ELÆOSACCHARUM ANISI.

℞. Pulveris Sacchari albiſſimi unciam unam,
Olei Aniſi guttas octo.

Miſceantur exacte.

*Stomachicum eſt atque carminativum.*

## ELÆOSACCHARUM CINAMOMI.

Fit ſumendo ad

Sacchari unciam unam,
Olei Cinamomi guttas duas.

*Cephalicum, ſtomachicum, carminativum atque cordiale eſt.*

## ELÆOSACCHARUM FOENICULI.

Paratur ut Elæoſaccharum Aniſi.

*Stomachicum, carminativum atque ophthalmicum eſt.*
*Dantur Elæoſacchara vel per ſe cuſpidatim, vel aliis remediis commiſcentur.*

## ELECTUARIUM DE BACCIS LAURI.

℞. Baccarum Lauri unciam unam ſemis,
Calami Aromatici,
Foliorum Rutæ,
Menthaſtri,
Origani,
Seminis Ammeos,
Carvi
Cumini,
Dauci,
Liguſtici,
Nigellæ,
Piperis longi,
nigri,
Caſtorei ana drachmas duas,
Salis Gemmæ unciam unam,
Mellis deſpumati & ad conſiſtentiam cocti, triplum.

Fiat lege Artis Electuarium.

*Carminativum eſt, diſcutit, colicæ flatulentæ, urinæ difficultati & paſſioni hyſtericæ medetur, laudatur quoque ad menſes ciendos. Doſis eſt ad drachmam unam uſque: ſed non amplius interne datur; hodie enim frequentius Enematibus carminativis & ſtimulantibus ad unciam unam admiſcetur.*

## ELECTUARIUM CATHOLICUM,

*ſeu*

ANTIDOTUS CATHOLICA NICOLAI PRÆPOSITI,

*vulgo*
ELECTUARIUM DIACATHOLICUM
*dictum.*

℞. Polypodii Querni libram ſemis.

Decoquantur in

Aquæ communis libris octo,

ad medietatis conſumtionem; in quo decocto colato diſſolvantur

Sacchari albi libræ quinque unciæ quatuor.

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam, ubi paululum refrixerint, addantur

Pulpæ Caſſiæ,
Tamarindorum ana unciæ quatuor.

Probe agitando. Poſtremo ſubſequentes pulveres paulatim inſpergantur.

℞. Sennæ unciæ quatuor,
Rhabarbari,
Polypodii,
Aniſi ana unciæ duæ.

Miſceantur ut artis eſt.

*Commendatur tanquam purgans univerſale in omnibus morbis & ad omnes humores educendos. Doſis uncia ſemis, ad unciam unam. Frequentius hodie immiſcetur Clyſteribus ab uncia una, ad unciam unam cum dimidia.*

ELECTUARIUM CATHOLICUM SIMPLEX.

℞. Herbæ Malvæ uncias duas,
Florum Chamomillæ unciam unam ſemis,
Radicis Bryoniæ uncias quinque,
Polypodii uncias quatuor.

Excoquantur fortiter. Colaturæ adde

Mellis crudi libras decem.

Colatis & ad conſiſtentiam ſpiſſam coctis, adde

Pulpæ Prunorum libras duas ſemis,
Pulveris Foliorum Sennæ libram unam ſemis,
Seminis Aniſi uncias quatuor,
Fœniculi uncias duas.

Miſce, fiat Electuarium.

*Adhibetur in Clyſteribus, ad alvum ſubducendum, ad unciam unam & ultra.*

ELECTUARIUM DIACASSIÆ CUM MANNA.

℞. Prunorum Damaſcenorum uncias duas,
Florum Violarum drachmas ſex,
Aquæ puræ uncias octodecim.

Bulliant ad medietatis conſumtionem, colentur & in colatura diſſolvantur

Syrupi Violati unciæ ſex,
Sacchari unciæ duæ.

Coquantur ad juſtam conſiſtentiam & addantur

Pulpæ Caſſiæ unciæ ſex,
Tamarindorum uncia una,
Mannæ Calabrinæ unciæ duæ.

Miſceantur.

*Medicamentum leniens & laxans conducens iis, qui alvo ſunt duriore. Doſis uncia una, ad duas.*

ELECTUARIUM DIASATYRII.

℞. Radicum Satyrii recentium ſucculentarum,
Paſtinacæ ſativæ recentium,
Eryngii recentium,
Nucis Indicæ,
Pinearum,
Piſtaciorum ana unciam unam ſemis,
Caryophyllorum,
Zingiberis albi,
Seminis Aniſi,
Erucæ,
Fraxini ana drachmas quinque,
Urticæ,
Cinamomi,
Carnis Scinci veri ana drachmas duas ſemis,
Moſchi grana ſeptem,
Mellis deſpumati optimi libras tres, uncias quatuor.

Radices Satyrii, Paſtinacæ & Eryngii ſeorſim bene tritæ, Melli injiciantur ac ſubigantur, paululumque lento igne ferveſcant. Deinde Piſtacia & Nuces Pineæ mundatæ ac tuſæ adjiciantur: ubi cum Melle aliquantulum bullierint, ſublato ab igne lebete, tuſæ & cribratæ reliquæ ſpecies, ac poſtremo Moſchus in pauxillo Spiritus Roſarum ſolutus addatur, omniaque probe permiſceantur.

*Analepticum & aphrodiſiacum vendidatur medicamentum, contra renum & veſicæ debilitatem valet, remorantem urinam promovet. Datur doſi magnitudine*

*dine Nucis Moſchatæ, ad unciam dimidiam.*

## ELECTUARIUM DIASCORDII FRACASTORII.

℞. Foliorum Scordii ſiccatorum unciam unam ſemis,
Roſarum rubrarum,
Radicum Biſtortæ,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Caſſiæ Ligneæ,
Cinamomi,
Dictamni Cretici,
Seminis Acetoſæ,
Styracis Calamitæ,
Gummi Arabici optimi,
Galbani ana unciam ſemis,
Boli Orientalis præparatæ uncias duas,
Piperis longi,
Zingiberis ana drachmas duas,
Extracti Opii ſcrupulos quinque,
Mellis roſati, colati, ad conſiſtentiam cocti, libras duas, uncias quatuor,
Vini Canarini generoſi quantum ſatis.

Fiat lege artis Electuarium, quod ſæpius agitetur, donec conſiſtentiam debitam acquiſiverit.

*Dicitur ita à Scordio, quod ejus baſin conſtituere debet. Egregium eſt ſudoriferum & alexipharmacum, in morbis malignis admodum proficuum. Sudores elicit, motus ſedat, quietem conciliat, vomitum, diarrhæam, dyſenteriam omnemque fluxum præternaturalem ſiſtit. Doſis eſt ad ſcrupulum, drachmam unam & ultra. In fluxibus alvinis commode Rhabarbarum commiſcetur. Drachma una Electuarii continet Extracti Opii tertiam grani partem.*

## ELECTUARIUM GINGIVALE.

℞. Lapidis Pumicis,
Cancrorum præparatorum,
Cremoris Tartari ana drachmam unam,
Aluminis uſti grana duodecim,
Coralliorum rubrorum præparatorum drachmam ſemis,
Myrrhæ electæ grana quindecim,
Radicis Ireos Florentinæ ſcrupulum unum,
Coccionellæ ſcrupulum ſemis,
Salis Tartari grana ſex,
Olei Caryophyllorum guttas duas.

Cum ſufficiente quantitate
Mellis Roſati,
fiat Electuarium.

*Uſus ex nomine patet.*

## ELECTUARIUM HIERÆ PICRÆ SIMPLEX, SIVE HIERA PICRA GALENI, QUAM SIMPLICEM VOCANT.

℞. Aloës non lotæ libram unam, unciam ſemis,
Aſari,
Cinamomi,
Croci,
Maſtiches Chiæ,
Spicæ Indicæ,
Xylobalſami, aut ejus loco, Ligni Aloës, vel Cubebarum ana drachmas ſex,
Mellis deſpumati libras quatuor & uncias tres.

Fiat Electuarium.

Hiera Picra *dicitur quaſi Medicina ſacra, licet amara,* GALENO *non tanquam auctori, ſed quod tantopere ab ipſo celebrata & exculta fuerit, adſcribitur. Acrimonia caloreque ſuo, uti* GALENUS *loquitur, craſſos & lentos humores diſſecat, præſertim qui in ventriculo hærent. Conducit iis, qui alvo ſunt adſtricta, & mulieribus, quæ non facile purgantur. Minus autem frequens ejus uſus eſt per os, cum nimiam amaritiem reſpuant ægri. Aſſervatur etiam in officinis ſola Aloë cum corrigentibus, & Species* Hieræ Picræ *vocantur: quando autem hæ ſpecies Melle excipiuntur & in formam Electuarii rediguntur,* Hiera Picra Simplex *appellatur. Species in pulvere dantur à drachma ſemis, ad drachmam unam. Electuarium exhibetur ad drachmas duas, unciam dimidiam. Quælibet drachma Specierum continet Aloës quadraginta quatuor circiter grana; Electuarii vero uncia una continet Aloës circiter octoginta & octo grana. Utplurimum autem ejus uſus hodie in Clyſteribus tantum eſſe ſolet ab uncia dimidia, ad unam.*

## ELECTUARIUM PECTORALE LAXATIVUM.

℞. Reſinæ Jalappæ, cum nucleis Pineis optime tritæ, unciam ſemis,
Sacchari albi uncias quatuor, drachmas duas,
Gummi Tragacanthæ drachmam ſemis,
Arabici,
Liquiritiæ ana grana viginti quatuor,
Iridis Florentinæ grana quadraginta duo,
Syrupi Papaveris Rhœados

unciam unam ſemis,
Aquæ Lohoch ſani & experti unciam unam.

Pulveriſata miſce cum Syrupo & Aqua probe terendo.

*Infantibus præſertim exhiberi ſolet ad mucum & pituitam expurgandam, præſertim in tuſſi aliiſque pectoris affectibus, ubi infantes continuo humores expectorandos deglutiunt. Doſis à drachma una, ad drachmam unam cum dimidia. Drachma una Electuarii continet grana quatuor Reſinæ Jalappæ.*

## ELIXIR APERITIVUM CLAUDERI.

℞. Salis Cinerum Clavellatorum depuratorum uncias duas,
Aquæ Florum Sambuci,
Cochleariæ ana uncias novem.

Solutio filtretur & affundatur groſſe pulveriſatæ

Aloës,
Myrrhæ ana unciæ uni,
Croci unciæ ſemis.

Fiat Elixir.

*Obſtructiones viſcerum reſerat menſeſque pellit; alvo obſtructa laborantibus conducit. Doſis in junioribus ad guttas quindecim; in adultis ad guttas quadraginta & ultra.*

## ELIXIR JUNIPERINUM *ſeu* MALVATICUM JUNIPERINUM.

℞. Roob Juniperi uncias quatuor,
Vini Malvatici libram unam.

Miſceantur in vaſe terreo piſtillo marmoreo vel vitreo, ſtent in digeſtione. Tinctus liquor colligatur, percolatione per linteum cum expreſſione; ſervetur uſui.

*Tuto poterit in majori doſi dari ad aliquot drachmas, ad unciam dimidiam, ſive ad cochleare unum, ad aliquot, pro ſcopo diuretico &, uti volunt, lithontriptico; in hydrope quoque convenit.*

## ELIXIR PECTORALE WEDELII.

℞. Radicis Helenii,
Iridis Florentinæ,
Scillæ ana unciam unam,
Liquiritiæ unciam ſemis,
Ligni Santali rubri unciam unam,
Herbæ Rorellæ unciam unam ſemis,

Seminis Aniſi unciam ſemis,
Croci drachmas tres,
Gummi Ammoniaci drachmas duas,
Benzoës drachmas ſex,
Myrrhæ unciam ſemis.

Species irrorentur

Tincturæ Antimonii acris uncia ſemis.

Poſt aliquot dies extrahatur, digerendo cum

Spiritus Vini rectificatiſſimi libris duabus,

Elixir.

*Commendatur in aſthmate, tuſſi, raucedine à muco viſcido &c. Doſis eſt ad guttas viginti, triginta & ultra, pro ratione circumſtantiarum.*

## ELIXIR PROPRIETATIS DULCE.

℞. Myrrhæ tritæ uncias duas.

Irroretur

Olei Tartari per deliquium uncia una,

ut fiat paſta mollis. Poſtquam leni igne humiditas evaporata fuit, adde

Aloës Succotrinæ pulveriſatæ uncias duas,
Croci inciſi unciam ſemis.

Cum

Spiritus Vini libris duabus ſemis,

extrahatur lege artis Elixir.

*Naturam contrariam Elixirio Proprietatis* Paracelsi *obtinet ob menſtruum alcaliſatum, ſed calidius eſt, & conducit in iis morbis, ubi aperiendum, ſtimulandum, laxandum eſt. A guttis viginti, quadraginta ad ſexaginta: è contrario vero non convenit in febribus nec in peſte, nec aliis affectibus, ubi humores jam valde æſtuantes & reſoluti partesque ſolidæ ſtricturis affectæ ſunt.*

## ELIXIR PROPRIETATIS PARACELSI.

℞. Aloës,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci unciam unam.

Omnia cum Spiritu Vini rectificato, (Myrrham tamen prius Spiritu Vitrioli irrigando, ut fiat quaſi paſta,) ad ſupereminentiam trium transverſim poſitorum digitorum adfuſo, digerantur per octiduum, Spiritus tinctus decantetur &, novo Spiritu Vini Speciebus addito, iterum fiat digeſtio; tandem liquores tincti jungantur

jungantur, filtrentur & ad uſum ſerventur. Nota melius eſſe, ſi prius tota maſſa Spiritu Vini humectetur & tum demum Spiritus Vitrioli addatur rurſusque Spiritus Vini affundatur; alias maſſa nigredinem concipit.

*A* Paracelso *auctore ſic dictum, quemadmodum Aloës & Myrrha mumias cuſtodiunt à putrefiendi aptitudine, ita corpus vivum à putredinis labe vindicat, & à peſte morbisque malignis præſervat. Stomacho quoque dicatum eſt, anorexiam atque dyſpepſiam corrigit; vermes necat, urinam, menſes & hæmorrhoides pellit, in affectibus hypochondriacis conducit icteroque medetur & alvum laxat. Doſis ad guttas decem, viginti, triginta &c. Si autem laxare debet, ultra drachmam eſt ſumendum. Cholerici, ſiccioris naturæ & ad hæmorrhagias inclinantes ab hoc ſimilibusque remediis ſibi caveant.*

## ELIXIR PROPRIETATIS Rhabarbarinum.

℞. Aloës,
Myrrhæ ana uncias duas,
Croci unciam ſemis,
Rhabarbari unciam unam ſemis,
Salis Tartari unciam ſemis.

Pulveriſatis affunde

Vini generoſi libras tres.

Stent in digeſtione per tempus, tunc colentur & ſerventur.

*Hoc ab Elixirio dulci in eo tantum diſcrepat, quod ratione menſtrui mitius ſit, in majori doſi aſſumi queat perque inferiora melius ob Rhabarbarum purget. Datur ad drachmas duas uſque ad unciam ſemis in vehiculo.*

## ELIXIR VITÆ Matthioli.

℞. Radicis Angelicæ,
Calami Aromatici,
Caryophyllatæ,
Valerianæ minoris ana drachmas duas,
Galangæ drachmas tres,
Zedoariæ,
Zingiberis ana drachmas quinque,
Ligni Aloës drachmam unam,
Santali citrini unciam unam ſemis,
Foliorum Calaminthæ,
Majoranæ,
Menthæ,
Pulegii,

Foliorum Sclareæ,
Serpilli,
Thymi ana drachmas duas,
Florum Roſarum rubrarum drachmas tres ſemis,
Betonicæ,
Borraginis,
Bugloſſi,
Roris marini,
Salviæ,
Stœchadis ana drachmam unam ſemis,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Ocymi,
Paſtinacæ ſylveſtris ana drachmas duas,
Nigellæ,
Corticum Citri,
Caryophyllorum,
Nucis Moſchatæ ana drachmas tres,
Macis drachmas duas,
Cardamomi utriusque ana drachmas tres ſemis,
Cinamomi drachmas decem,
Cubebarum drachmam unam.

Inciſa, contuſa macerentur in

Spiritus Vini Gallicani rectificati libris duodecim,

vaſis arctiſſime clauſis per quindecim dies, poſtea deſtillentur & in prolecto liquore infundantur

Santali citrini drachmæ duæ ſemis,
Ambræ gryſeæ,
Moſchi Orientalis ana drachma ſemis.

Poſt filtrationem addendo

Julepi Roſarum libram unam.

Tingatur Coccionella.
Omiſſis Ambra & Moſcho vocatur *Elixir Vitæ Matthioli Incompletum.*

*Cum aromatibus conſtet, Spiritu Vini extractis, vim obtinet ſtomachicam, carminativam atque cordialem. Datur ad drachmam unam, ad unciam ſemis; vel cochleatim per ſe, vel cum aliis miſcetur.*

## EMPLASTRUM
*ſive*
## CERATUM DE AMMONIACO FORESTI.

℞. Unguenti Dialthææ unciam unam ſemis,
Ceræ citrinæ uncias quatuor,
Reſinæ Pini unciam unam.

Super ignem colliquatis & colatis adde

Pulveris Radicis Bryoniæ,
Iridis Florentinæ,
Seminis Fœnu Græci ana drachmas ſex.

Miſceantur & in fine addantur

Gummi Ammoniaci, in Aceto ſoluti, unciæ duæ,
Emplaſtri de Meliloto uncia una.

Fiat Emplaſtrum.

*Malacticum & plurimi uſus ac emolumenti eſſe dicitur, in omnibus affectibus externis, digeſtionem & coctionem requirentibus. Inflammationes & dolores ſedat, indurata emollit, ulcera detergit, vulnera conſolidat & callum obducit.*

## EMPLASTRUM ANODYNUM SCHMIDII.

℞. Radicis Althææ unciam unam,
Seminis Althææ unciam dimidiam,
Lini drachmas ſex,
Succi Malvæ,
Chamomillæ ana uncias quatuor,
Vini albi mediocris libram dimidiam.

Extrahatur Mucilago, cui adde

Baccarum Lauri drachmas duas,
Radicis Iridis drachmas quinque,
Curcumæ,
Helenii,
Seminis Ammeos,
Foliorum Majoranæ ana drachmam unam,
Croci drachmam dimidiam,
Caricarum pinguium numero ſex,
Gummi Ammoniaci, Aceto ſoluti, unciam unam,
Colophonii uncias duas ſemis,
Terebinthinæ,
Sevi Vitulini ana unciam unam ſemis,
Ceræ citrinæ uncias novem,
Olei Irini,
Majoranæ ana unciam unam ſemis.

Fiat lege artis Emplaſtrum, cui in fine adde

Olei Abſinthii deſtillati drachmam dimidiam.

*Hoc Emplaſtrum emollit, maturat & ad ſuppurationem deducit ſimulque egregie mitigat ac dolores demulcet.*

## EMPLASTRUM DE BETONICA.

℞. Ceræ flavæ,
Reſinæ Pini,
Terebinthinæ ana uncias duas,
Pulveris Betonicæ unciam ſemis,
Maſtiches,
Thuris ana drachmas duas,
Mumiæ drachmam unam ſemis.

Fiat, Ceræ cum Reſina liquatæ, colatæ ac poſtea ſemirefrigeratæ, addendo Terebinthinam & reliquorum Pulveres, ſecundum artem Ceratum.

*Ad exſiccandos varios humores cerebri, cephalæam, cephalalgiam, catarrhos alioſque capitis affectus conducere dicitur, in vulneribus capitis præſertim adhibetur, ubi detergit & ad cicatricem perducit.*

## EMPLASTRUM DE CICUTA *ſive* SPLENETICUM.

℞. Succi Cicutæ uncias ſedecim,
Aceti Scillitici,
Gummi Ammoniaci ana uncias octo.

Diſſolvatur Gummi Ammoniacum in Aceto Scillitico, coletur &, addito Succo Cicutæ, rurſus inſpiſſetur ad pultis conſiſtentiam; addantur

Pulveris Cicutæ unciæ octo,
Ceræ liquatæ unciæ ſedecim,
Olei Capparum unciæ quatuor.

Miſceantur leni calore, ut fiat Emplaſtrum.

*Præſtantiſſimum eſt in tumoribus duris & ſcirrhoſis; imprimis vero lieni dicatum eſt, eum obſtructum aperit, roborat ejuſque duritiem emollit. Imponitur ſiniſtro hypochondrio in dolore & obſtructione lienis, nec non pancreatis. Verrucas quoque & clavos pedum aufert.*

## EMPLASTRUM CITRINUM VULGARE.

℞. Reſinæ uncias ſedecim,
Ceræ citrinæ uncias octo,
Sevi Cervini uncias quatuor,
Terebinthinæ uncias duas.

Fiat Emplaſtrum, omnia invicem liquando & colando tingendoque cum

Pulveris Curcumæ drachmis duabus.

*Vulneribus recentibus medetur ac*

*ac ea cicatrice claudit, ut & in ulceribus convenit.*

## EMPLASTRUM AD CLAVOS PEDUM.

℞. Galbani unciam unam,
Picis navalis unciam ſemis,
Diachyli ſimplicis drachmas duas,
Salis Ammoniaci,
Viridis Æris ana ſcrupulum unum.

Galbano in Aceto diſſoluto, & ad ſpiſſitudinem evaporato, addatur Pix & Emplaſtrum Diachylon, in fine Sal Ammoniacum & Viride Æris pulveriſata.
Fiat lege artis Emplaſtrum.

*Ad clavos & verrucas pedum multum laudatur.*

## EMPLASTRUM DE CRUSTA PANIS.

℞. Maſtiches,
Menthæ ana unciam unam,
Cruſtæ Panis, toſtæ & maceratæ in Aceto per horam dimidiam, libram ſemis,
Olei Cydoniorum,
de Maſtiche,
Terebinthinæ ana uncias quatuor,
Ceræ citrinæ uncias ſedecim,
Farinæ Hordei libram unam.

Fiat Emplaſtrum, Oleis Ceram, cum Terebinthina liquefactam, & cætera permiſcendo.

*Stomachicum eſt, & hinc in ventriculo debiliori præſcribitur atque proficuum eſt in vomitu, præſertim puerorum; ſicut quoque conducit iis, qui cibum retinere nequeunt; imponitur etiam umbilico in diarrhœa & dyſenteria.*

## EMPLASTRUM DIABOTANUM.

℞. Foliorum recentium cum Radicibus Angelicæ hortenſis,
Bardanæ,
Calendulæ,
Chamæpityos,
Chelidonii majoris,
minoris,
Cicutæ,
Cucumeris ſylveſtris,
Enulæ Campanæ;
Gratiolæ,
Illecebræ,
Leviſtici,
Petaſitidis,
Raphani ruſticani,
Scrophulariæ,

Valerianæ majoris ana
libram ſemis.

Coque in Aquæ communis ſufficiente quantitate, cola, expreſſo adde

Succi Chelidonii majoris,
Cicutæ,
Hormini ana libras
quinque, uncias
quatuor,
Illecebræ libram unam,
uncias quatuor.

Vaporent Balneo Maris ad Extracti ſolidioris conſiſtentiam;

Hujus unciis ſedecim
admiſce

Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, in Aceti
Scillitici ſufficiente quantitate
ſolutorum & inſpiſſatorum, ana
uncias quatuor.

Interea

℞. Lithargyrii pulveriſati libras
duas, uncias octo,
Olei Lumbricorum,
Meliloti,
Mucaginum ana uncias
decem,
Aquæ communis circiter uncias viginti.

Coque ſimul ad Emplaſtri paulo ſiccioris conſiſtentiam, cui per vices admiſce Extractum ſupra dictum, permixtum cum Gummi, Balneo Maris prius liquefactis. Tum adde

Sulphuris vivi, tenuiſſime
pulveriſati, uncias quindecim.

Poſtea liquefiant

Ceræ citrinæ,
Styracis liquidæ repurgatæ,
Picis Burgundicæ ana libra
una, unciæ quatuor.

Maſſæ ſemirefrigeratæ *inſperge* pulveres

Radicis Coronæ Imperialis,
Cyclaminis,
Hellebori albi,
Ireos Florentinæ,
Ranunculi Tuberoſi,
Serpentariæ ana
drachmas ſex,
Ari,
Sigilli Beatæ Mariæ,
ana unciam unam,
*Trium* Ariſtolochiarum ana drachmas duas,
Aſari uncias tres,
Foliorum Piſtachiorum
drachmas tres,
Baccarum Lauri unciam ſemis,
Seminum Angelicæ,

Seminum Naſturtii ana drachmas ſex,
Cumini uncias tres,
Fimi Columbini unciam unam,
Bituminis Judaici,
Olibani,
Maſtiches ana uncias octo,
Gummi Tacamahacæ libram unam,
Bdellii,
Myrrhæ ana uncias tres,
Euphorbii unciam unam.

His rite permixtis tandem adde

Camphoræ unciam unam ſemis,

in

Olei Caryophyllorum uncia una

ſolutæ,

Olei de Lateribus uncias duas ſemis.

Fiat Emplaſtrum ſecundum artem.

*Nomen obtinet ab inſigni vegetabilium, quæ illud ingrediuntur, quantitate; digerit, emollit, reſolvit tumores pituitoſos, glanduloſos ſcirrhoſosque.*

## EMPLASTRUM DIACHYLUM CUM GUMMI.

℞. Emplaſtri Diachyli ſimplicis uncias viginti,
Gummi Ammoniaci,
Galbani ana unciam unam,
Opopanacis,
Sagapeni ana unciam ſemis,
Terebinthinæ uncias duas.

Miſce, fiat Emplaſtrum.

*Magnarum in emolliendo eſt virium, concoquit, maturat & digerit.*

## EMPLASTRUM DIACHYLUM SIMPLEX.

℞. Mucilaginis Seminis Fœni Græci,
Lini,
Radicis Althææ ana libram unam,
Olei Olivarum libras quatuor,
Lithargyrii libram unam ſemis.

Coquantur omnia leni igne, continuo agitando, uſque ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, vel juſtam conſiſtentiam.

*Diachylon à Mucilaginibus baſin compoſitionis conſtituentibus vocatur. Emollit atque re-*

*ſolvit & digerit, hinc in tumoribus quibuscunque, maturationem quandam requirentibus, utiliter applicatur: glutinat tandem, hincque in recentibus vulneribus non abs re commendatur.*

## EMPLASTRUM DIAPALMÆ.

℞. Decocti tenuiorum ramorum Palmæ, vel, uti moris eſt, Quercus,
Olei communis,
Axungiæ Suillæ,
Lithargyrii Aurei ana libras ſex.

Coquantur ſecundum artem in Emplaſtrum.

*Polychreſtum eſt Emplaſtrum in quibusvis fere affectibus externis, vulneribus & ulceribus, ambuſtis, oſſium fracturis & luxationibus. Cicatrices egregie exſiccat.*

## EMPLASTRUM DIAPHORETICUM.

℞. Ceræ citrinæ libram ſemis,
Terebinthinæ uncias duas,
Colophonii unciam unam ſemis.

Invicem liquatis immiſce

Gummi Bdellii unciam unam ſemis,
Gummi Ammoniaci drachmas ſex,
Galbani drachmas tres,

in

Terebinthinæ Venetæ uncia una,

ſoluta. In fine adde

Succini præparati uncias octo,
Maſtiches,
Sandaracæ,
Olibani ana drachmas tres.

Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

*Diſcutit, ſeroſam humiditatem abſumit & extrahit; hinc in fluxionibus, ſic dictis, frigidis, iſchiadico dolore, intumeſcentia pedum, parotidibus tumoribusque pituitoſis, ubi ſuppurationi incumbere nolumus, prodeſt. Ab effectu ſuo nomen obtinet.*

## EMPLASTRUM DIAPOMPHOLYGOS.

℞. Olei Solani,
Ceræ citrinæ ana libras duas ſemis,
Ceruſſæ,
Plumbi uſti ana libram ſemis,
Olibani

Olibani,
Pompholygos ana uncias quatuor.

Ceruſſa & Oleum leniſſimo igne cum

Aquæ Solani libra una,

coquantur ad Unguenti ſpiſſioris conſiſtentiam, quibus addatur Cera &, cum, ſub perpetua agitatione, fere refrixerint, etiam reliqua ſubtiliſſime trita.

*Siccat, conſolidat cicatricemque inducit.*

EMPLASTRUM DIASULPHURIS RULANDI.

℞. Ceræ citrinæ libras duas,
Balſami Sulphuris Rulandi libram unam.

Solutis leni igne adde

Pulveris Colophonii libram unâm ſemis,
Myrrhæ libram unam.
Fiat Emplaſtrum.

*Detergit, mundificat & omnis fere generis ulcera curat; putredini reſiſtit, & præterea inſigniter reſolvit, quam virtutem in ſtrumis præſertim diſſolvendis exſerit.*

EMPLASTRUM AD DOLORES DENTIUM.

℞. Gummi Carannæ,
Gummi Elemi,
Maſtiches,
Tacamahacæ ana unciam unam,
Styracis Calamitæ unciam ſemis,
Olei Nuciſtæ expreſſi ſcrupulos octo,
Opii Thebaici unciam unam,
Terebinthinæ unciam ſemis.

Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

*Inſcriptio vires indicat, applicatur temporibus & pone aures.*

EMPLASTRUM FRIGIDUM.

℞. Ceræ citrinæ,
Reſinæ albæ,
Sevi Hircini,
Terebinthinæ ana uncias ſex,
Olei Lini unciam unam ſemis,
Chamomillæ,
Liliorum alborum,
Lumbricorum ana drachmas ſex,
Terebinthinæ drachmas duas,
Pulveris Curcumæ drachmas decem,
Florum Chamomillæ,

N

Florum Sambuci ana unciam ſemis,
Radicis Althææ,
Conſolidæ majoris ana drachmas duas,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Fœnu Græci ana unciam ſemis,
Farinæ Fabarum,
Galbani,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani,
Opopanacis ana drachmas duas,
Emplaſtri Diachyli ſimplicis libram unam.

Miſce, fiat Emplaſtrum juſtæ conſiſtentiæ.

*Emollit, digerit & reſolvit.*

## EMPLASTRUM DE GALBANO CROCATUM MYNSICHTI.

℞. Gummi Galbani, in Aceto diſſoluti, libram ſemis,
Emplaſtri Diachyli ſimplicis, de Meliloto ana uncias tres,
Ceræ uncias duas,
Terebinthinæ unciam unam,
Croci Orientalis drachmas ſex.

Miſce, fiat ſecundum artem juſtæ conſiſtentiæ Emplaſtrum.

*Commendatur ad emolliendos & reſolvendos tumores duros & ſcirrhoſos, nec non ad ſedandos & mitigandos vehementes & lethales partium dolores, ſive à crudis humoribus, vel à flatu craſſo, vel ab alia cauſa, uti loquuntur, frigida ortos. Strumas quoque emollit, lenit atque diſcutit. Præterea in convulſione & ſingultu laudatur; nec deſtituitur virtute antihyſterica. In tumoribus mammarum mulierum multum præſtat, calide applicitum, inprimis ſi ſimul ſacculus, arena repletus, calide applicetur.*

## EMPLASTRUM GRYSEUM *ſive* DE LAPIDE CALAMINARI.

℞. Lapidis Calaminaris præparati unciam unam,
Lithargyrii uncias duas,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Ceræ uncias tres,
Sevi Cervini uncias quatuor,
Thuris electi,
Maſtiches ana unciam ſemis,
Myrrhæ drachmas duas,
Camphoræ drachmam unam ſemis.

Confice ſecundum artem, Sevo, Terebinthina & Cera liquatis, poſt aliqualem refrigerationem, reliquorum pulverem immiſcendo, Emplaſtrum.

*Ulcera explet, ſiccat & cicatrice claudit.*

### EMPLASTRUM AD HERNIAS,

*vid.*

### EMPLASTRUM AD RUPTURAS.

### EMPLASTRUM DE HYOSCYAMO LUDOVICI.

℞. Olei Seminis Hyoſcyami expreſſi,
Succi Hyoſcyami ana quantum lubet.

Coque ad conſumtionem ſucci; tunc adde

Ceræ,
Terebinthinæ ana quantum ſufficit.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

*Inſigniter reſolvit & dolores ſimul mitigat. Ab auctore reſolventibus & ſpleneticis, imo ipſi Emplaſtro de Cicuta præfertur.*

### EMPLASTRUM INCOGNITUM

*ſive*

### SANTALINUM.

℞. Ceræ novæ uncias quatuor,
Reſinæ uncias quinque ſemis,
Santali rubri unciam unam ſemis,
Croci drachmas duas,
Aluminis,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani ana drachmam unam ſemis.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum, Ceræ cum Reſina liquefactæ & colatæ iterumque ſemirefrigeratæ, Santalum & Crocum, Spiritu Vini irrorata, nec non reliqua, in pulverem redacta, immiſcendo.

*Hepar roborare, obſtructiones ejus reſerare, nec non indurationes ejus emollire infarctosque humores peccantes reſolvere & ſanguinem mundificare quidem dicitur, an autem tantos effectus edat, experientia dubium reddit.*

### EMPLASTRUM ISCHIADICUM BEZÆ.

℞. Gummi Ammoniaci unciam ſemis,

Gummi Galbani unciam unam ſemis,
Maſtiches unciam unam,
Tacamahacæ drachmas ſex,
Carannæ unciam ſemis,
Reſinæ Pini libram unam.
Miſce, fiat Emplaſtrum.

*Hoc Emplaſtrum, abſque Oleo uſurpandum, commendatur ad dolores iſchiadicos placandos & auferendos; ſicut quoque in affectibus aliis rheumaticis laudatur.*

EMPLASTRUM DE MELILOTO MESUÆ.

℞. Meliloti uncias ſex,
Florum Chamæmeli,
Fœnu Græci,
Baccarum Lauri,
Radicis Althææ,
Abſinthii ana drachmas tres,
Seminis Apii,
Cardamomi,
Ireos,
Spicæ Nardi Indicæ,
Caſſiæ Ligneæ,
Ammeos ana drachmam unam ſemis,
Majoranæ drachmas tres,
Gummi Ammoniaci præparati drachmas decem,
Styracis Calamitæ,
Bdellii ana drachmas quinque,
Terebinthinæ unciam unam ſemis,
Ficuum pinguium numero duodecim,
Sevi Hircini,
Reſinæ ana uncias duas ſemis,
Ceræ uncias ſex,
Olei Majoranæ,
Nardini ana uncias tres.

Cera, cum Reſina liquata & colata, miſceatur Sevo & Oleis, poſtea ab igne ſepoſitis & ſemirefrigeratis pulveres, ac tandem Styrax & Ammoniacum in Terebinthina liquata, ut & Ficus in pulpam craſſam redactæ addantur.

Fiat lege artis Emplaſtrum.

*Malacticum ſive emolliens celebre eſt Emplaſtrum, commendatur ad durities jecoris, lienis, ventriculi, viſcerum & reliquarum partium, etiam inveteratas emolliendas, hypochondriorum tenſionem laxandam, flatus reſolvendos, bubones diſcutiendos, ac dolores à frigido ſedandos. In intumeſcentia genarum, cum dolore dentium conjuncta, ad hoc Emplaſtrum confugiunt plurimi, cum tamen ſæpius plus prodeſſet, ſi Theriacam cum Spiritu Vini Camphorato applicarent.*

EMPLA-

## EMPLASTRUM E MUCILAGINIBUS.

℞. Olei Mucaginum libram ſemis,
Ceræ flavæ libram unam,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Opopanacis,
Sagapeni, in Aceto ſolutorum, ana unciam ſemis,
Terebinthinæ uncias duas,
Croci Orientalis drachmas duas.

Fiat ſecundum artem Emplaſtrum.

*Emollit inſigniter, digerit, maturat atque ſuppurat.*

## EMPLASTRUM NIGRUM BEZÆ.

℞. Pulveris Lapidis Pyritæ ſplendentis uncias tres,
Lithargyrii uncias ſex,
Olei Olivarum veteris uncias novem,
Succi Cucumeris aſinini,
Nicotianæ ana unciam unam.

Coque ad diſſolutionem & conſiſtentiam, adde

Styracis liquidæ,
Picis navalis ana unciam ſemis,
Pulveris Gummi Ammoniaci,
Bdellii,
Galbani,
Serapini ana unciam unam,
in
Terebinthinæ unciis duabus, ſolutorum,
Maſtiches,
Olibani,
Pulveris Radicis Cucumeris aſinini,
Ireos,
Liliorum alborum,
Mandragoræ ana unciam ſemis,
Olei Ligni Sancti,
Tartari fœtidi ana drachmas duas.

Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

*De hoc Emplaſtro auctor ita loquitur: Emplaſtrum noſtrum nigrum ex Pyrite, Oleo Tartari fœtido, Oleo Ligni Sancti &c. præſtantiſſimum eſt, reſolvit enim ſcirrhoſos duriſſimosque tumores, in quacunque corporis parte, brevi temporis ſpatio.*

## EMPLASTRUM NORIMBERGENSE.

℞. Olei Roſati libram unam,
Minii rubri ſubtiliſſime triti uncias octo.

Coque ad Emplaſtri conſiſtentiam, cui ſemirefrigerato adde

Camphoræ, in pauco Oleo Olivarum ſolutæ, drachmas duas.

Miſce, fiat Emplaſtrum.

*Reſolvit, exſiccat & ad cicatricem perducit; roborat quoque nervos.*

## EMPLASTRUM OXYCROCEUM.

℞. Ceræ citrinæ,
Reſinæ albæ ana libras duas ſemis,
Croci, pulveriſati & Spiritu Vini irrorati, unciam unam,
Colophonii pulveriſati libras duas,
Gummi Ammoniaci,
Galbani,
Terebinthinæ,
Pulveris Maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani ana libram ſemis.

Ceræ & Reſinæ liquefactis atque colatis adde Crocum & Colophonium, poſt immiſce Ammoniacum & Galbanum, in Terebinthina ſoluta, & ultimo junge reliqua pulveriſata.

Fiat lege artis Emplaſtrum.

*Ad contuſa, oſſium fracturas, nervorum dolores & abſceſſuum inveteratorum duritiem emolliendam idoneum; emplaſticum quoque & gignendo callo habile: in compeſcendis doloribus, contuſionibus & contorſionibus Chirurgorum eſt aſylum; præſtaret tamen hoc in caſu ſæpius illud omittere, & ſpirituoſis uti.*

## EMPLASTRUM E PLUMBO *ſive* SATURNINUM MYNSICHTI CORRECTUM.

℞. Plumbi uſti uncias duas,
Ceruſſæ lotæ unciam ſemis,
Ceræ,
Sevi Hircini ana unciam unam ſemis,
Terebinthinæ drachmas ſex,
Lapidis Calaminaris,
Pompholygos,
Tutiæ præparatæ ana drachmas duas,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani ana drachmam unam,

Aloës Hepaticæ,
Camphoræ ana drachmam ſemis.

Ceræ cum Sevo Hircino & Terebinthina liquatæ, poſtquam ab igne remota fuerint, reliqua in pulverem redacta, ſecundum artem permiſceantur, ut fiat Emplaſtrum.

*Valet contra omnis generis ambuſta, inflammationes, tumores, vulnera & ulcera maligna fœtida & corrodentia, ut & tumores cancrum imitantes.*

## EMPLASTRUM DE RANIS VIGONIS CUM ET SINE MERCURIO.

℞. Ranarum vivarum numero ſexaginta,
Lumbricorum uncias quinque,
Schœnanthi,
Stœchadis Arabicæ,
Matricariæ,
Radicis Ebuli,
Enulæ ana uncias tres,
Vini libras quatuor.

Coque ad dimidium; colaturæ adde
Olei Anethi,
Chamomillæ,
Liliorum alborum ana libram unam ſemis.

Bulliant ad conſumtionem humiditatis; poſtea colaturam cum
Lithargyrii libris ſex,

coque ad conſiſtentiam debitam; adde
Ceræ citrinæ,
Pinguedinis Vitulinæ ana libras tres,
Terebinthinæ libram unam,
Storacis liquidæ uncias novem,
Axungiæ Serpentum uncias quindecim,
Croci drachmas duas,
Euphorbii pulveriſati uncias tres & drachmas ſex,
Olibani unciam unam,
Olei Spicæ libram ſemis.

Fiat lege artis Emplaſtrum.

Si cum Mercurio deſideratur,

Emplaſtri unciæ uni,

additur
Argenti vivi circiter drachma una,

cujus doſis ad duplum, triplum aut quadruplum extendi poteſt.

*Emplaſtrum ſimplex absque Mercurio conducit ad dolores, ex frigida, uti loquuntur, cauſa ortos, reſolvit & emollit tumores, ſic dictos, frigidos. Prodeſt, imprimis quod Argentum vivum continet, in nodis & to-*

*phis, ut & doloribus à lue venerea productis. Sunt qui hoc Emplaſtro ad ſalivationem excitandam partes corporis involvunt, utut non ſemper bene.*

## EMPLASTRUM RESOLVENS.

℞. Gummi Ammoniaci,
Bdellii ana unciam unam,
Galbani,
Maſtiches,
Olibani,
Opopanacis,
Radicis Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Dictamni albi ana unciam ſemis,
Olei Hyperici,
Laurini ana uncias octo,
Ceræ citrinæ uncias ſex,
Terebinthinæ uncias duas,
Lithargyrii uncias novem.

Miſce, fiat lege artis Emplaſtrum.

*Reſolvit & diſcutit; commendatur in tumoribus, infarctibus viſcerum, etiam jam ad ſcirrhum inclinantibus: laudatur in humoribus viſcidis reſolvendis.*

## EMPLASTRUM ſeu CERATUM AD RUPTURAS ſive AD HERNIAS ZWELFFERI.

℞. Terebinthinæ claræ libram ſemis.

In hac liquefacito

Pulveris Maſtiches electæ unciam unam,
Ceræ flavæ odoratæ uncias quatuor.

Quibus liquatis adde

Succi Acaciæ,
Hypociſtidis, in decocto forti glandium Laricis, ſeu Abietis in pultis formam ſoluti, ana unciam unam,
Pulveris Myrrhæ,
Olibani,
Radicis Symphyti majoris ana unciam unam,
Sanguinis Draconis,
Aluminis crudi, parumper cum ſuperiori decocto humectati, ana drachmas ſex,
Nucum Cupreſſi,
Lapidis Hæmatitis,
Pulveris

Pulveris Seminis Perfoliatæ,
Vitrioli parum calcinati ana unciam ſemis.

Miſceantur exacte, fiat Ceratum.

*Præſens remedium ad varias herniæ ſpecies parti affectæ, inteſtinis vel omento prius in locum ſuum repoſitis, pubi ac ſcroto tonſis appoſitum conducit.*

## EMPLASTRUM SANTALINUM,

*vid.*

## EMPLASTRUM INCOGNITUM.

## EMPLASTRUM SAPONATUM BARBETTE.

℞. Olei Olivarum uncias ſedecim,
Ceruſſæ,
Minii ana uncias quatuor.

Coque igne lento ad Emplaſtri durioris conſiſtentiam; adde

Saponis Veneti raſi uncias quatuor,
Axungiæ Porcinæ unciam ſemis.

Fiat ex arte Emplaſtrum.

*Poros partium modeſte obſtipando, materiam inſpiſſatam emollit & , præcipue quando Camphora tempore uſus imbuitur, diſcutit. Conducit ad dolores arthriticos, ex lympha tenuiore, item ad podagram ſedandam: tumores reſolvit, uterum roborat umbilico impoſitum & menſes ciet; ambuſtis quoque & pernionibus medetur.*

## EMPLASTRUM SATURNINUM MYNSICHTI,

*vid.*

## EMPLASTRUM E PLUMBO MYNSICHTI.

## EMPLASTRUM DE SPERMATE CETI MYNSICHTI.

℞. Ceræ albæ uncias quatuor,
Spermatis Ceti uncias duas,
Gummi Galbani unciam unam.

Ceræ liquatæ commiſceatur Sperma Ceti & tandem Gummi Galbanum, in

Terebinthinæ Venetæ uncia ſemis,

ſolutum.

Fiat lege artis Emplaſtrum.

*Sanguinem & lac imprimis grumoſum atque coagulatum reſolvere creditur. Hinc mammis puerperarum impoſitum omnibus ex lacte doloribus & tumoribus etiam duris, imo ſcrophulis & ſtrumis mederi ab auctore di-*

*citur; interim tamen non ſemper effectus expectationi reſpondet.*

EMPLASTRUM DE SPERMATE RANARUM.

℞. Olei Spermatis Ranarum libras tres,
Ceruſſæ Venetæ libras quatuor ſemis,
Ceræ albæ libram unam,
Aluminis crudi uncias quatuor,
Camphoræ unciam unam.

Oleum Spermatis Ranarum cum Ceruſſâ ad conſiſtentiam Emplaſtri coquatur, affundendo ſenſim Alumen Aqua ſolutum. Poſtea Cera & ultimo Camphora, in Oleo diſſoluta, ex arte immiſceantur.

*In inflammationibus & doloribus coërcendis, nec non ad ulcera contumacia ſordida & antiqua curanda utiliter adhibetur: conducit quoque in gangræna & artuum doloribus; humorum acrimoniam demulcet & exſiccat.*

EMPLASTRUM STOMACHICUM ZWELFFERI.

℞. Gummi Tacamahacæ unciam unam,
Animæ,
Benzoës ana unciam ſemis,
Gummi Maſtiches uncias duas,
Terebinthinæ claræ uncias tres,
Reſinæ Styracis expreſſæ unciam unam.

His, leniſſimo calore, diſſolutis &, ſi opus eſt, per linum & qualum colatis, ſuperadde

Olei Nucis Moſchatæ expreſſi,
Pulveris Baccarum Lauri,
Myrrhæ,
Nucis Moſchatæ,
Olibani ana unciam unam,
Caryophyllorum drachmas ſex.

Quibus ultimo, quaſi refrigerato Emplaſtro, adde

Balſami Peruviani unciam ſemis, vel drachmas ſex.

Fiat Emplaſtrum.

*Facit quam maxime ad confortandum ſtomachum; in vomitu, diarrhœa, lienteria &c. prodeſt.*

EMPLASTRUM STYPTICUM CROLLII.

℞. Lapidis Calaminaris,
Minii ana uncias octo,
Lithargyrii libram ſemis,

Olei Laurini libram unam,
Lini,
Olivarum ana libras duas,
Ceræ,
Colophonii ana libram unam, uncias quatuor,
Vernicis,
Terebinthinæ ana uncias octo,
Ammoniaci præparati,
Bdellii,
Galbani præparati,
Opopanacis præparati,
Sagapeni præparati ana uncias tres,
Ariſtolochiæ longæ,
rotundæ,
Aloës Hepaticæ,
Myrrhæ Alexandrinæ,
Olibani,
Succini citrini ana unciam unam,
Hæmatitæ,
Magnetis,
Mumiæ ana unciam unam ſemis,
Coralliorum alborum,
rubrorum,
Matris Perlarum,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ Strigenſis,
Vitrioli albi ana unciam unam,
Croci Martis,
Florum Antimonii ana drachmas duas,
Camphoræ unciam unam.

Modus parandi ſequens eſto.

Oleum Lini & Olivarum cum Lithargyrio aliquamdiu coquantur; hinc addatur Lapis Calaminaris & paulo poſt Minium, quæ omnia agitando coquantur ad conſiſtentiam; tandem etiam addatur circa finem Vernix, Oleum Laurinum, Cera, Colophonium, invicem liquefacta & colata; ab igne depoſitis & ſemirefrigeratis immiſceantur Opopanax, Galbanum, Sagapenum & Ammoniacum cum Terebinthina ſoluta, ut & Camphora, ac reliqua in ſubtilem pulverem redacta.

*Vires hujus Emplaſtri percelebres ſunt, vulnera ſiquidem recentia & ictus celeriter conſolidat, ſymptomata & fluxiones ſupervenire ſolitas præcavet, ferrum, lignum, plumbum aliaque membris profundius infixa ſine dolore extrahit, antiqua etiam ulcera ſiccat & mundificat. Convenit in abſumendo lacte & inflammationibus mammarum, commendatur in catarrhis à lympha acri & tenuiori ortis; arthriditi quoque medetur. Utinam experientia has laudes confirmaret!*

## EMPLASTRUM TRIAPHARMACON.

℞. Aceti fortis,
Lithargyrii,
Olei communis ana uncias tres.

Lithargyrus leviſſime tritus moveatur continuo ad ignem, paulatim affuſis Oleo & Aceto; vel etiam omnia ſimul permixta lege artis coquantur.

*A tribus ingredientibus nomen habet, dicitur &* Emplaſtrum de Lithargyrio nutrito Meſuæ. *Siccat potentiſſime ulcera difficilia, & fiſtulas, quæ nondum callum contraxerunt, curat, detergit præterea, ſanguinem ſiſtit, & vulnera glutinat.*

## EMPLASTRUM VESICATORIUM.

℞. Cantharidum uncias ſex,
Camphoræ,
Maſtiches,
Myrrhæ,
Olibani ana drachmas ſex,
Ceræ citrinæ uncias novem,
Olei Roſarum,
Terebinthinæ ana uncias tres.

Miſce, fiat Emplaſtrum.

*Veſicas excitat ubicunque imponitur.*

## EMPLASTRUM VIRIDE.

℞. Ceræ,
Reſinæ,
Terebinthinæ ana uncias quatuor,
Maſtiches,
Olibani,
Viridis Æris ana uncias tres.

Miſce, fiat Emplaſtrum.

*Detergit & conſolidat vulnera, & ad clavos pedum conducit.*

## EMULSIO VIOLATA MYNSICHTI.

℞. Amygdalarum dulcium unciam unam,
Seminis Papaveris albi drachmam unam,
Violarum drachmas duas,
Aquæ Lactucæ,
Nymphææ ana uncias quatuor,
Violarum uncias octo.

Fiat Emulſio, quæ edulcoretur
Julepi Violarum drachmis ſex.

Tempore uſus demum conficienda eſt.

*Refrigerat, humectat, ſitim ſedat, ſomnum conciliat & dolores*

*lores mitigat. Doſis hauſtus mediocris, ſcilicet duarum, trium, vel quatuor unciarum.*

### ESSENTIA ABSINTHII.

℞. Summitatum Abſinthii floridarum ſiccatarum uncias tres.

Superfundantur

Spiritus Vini rectificati libræ duæ.

Poſt digeſtionem, decantationem & expreſſionem filtretur Eſſentia, quæ

novi Abſinthii unciæ uni,

reaffuſa, denuo digeratur, exprimatur & filtretur.

*Stomacho medetur, appetitum excitat & concoctionem promovet. Hepati prodeſt aliasque virtutes, quas Abſinthium habet, poſſidet. Datur vel per ſe, ad triginta, quadraginta guttas; vel etiam cum aliis miſcetur.*

### ESSENTIA ABSINTHII COMPOSITA.

℞. Summitatum Abſinthii floridi uncias tres,
Centaurii minoris,
Herbæ Cardui Benedicti ana unciam ſemis,
Calami Aromatici,
Zedoariæ ana unciam unam,
Corticum Aurantiorum,
Citri ana drachmas duas,
Cinamomi unciam ſemis,
Caryophyllorum drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati libras quatuor.

Infunde per tempus, digere, exprime & filtra.

*Majoribus ac prior gaudet virtutibus, ſtomachica & carminativa eſt; optime cum Spiritu Nitri dulci miſcetur. Doſis eſt eadem.*

### ESSENTIA ALEXIPHARMACA STAHLII.

℞. Radicis Angelicæ,
Carlinæ,
Imperatoriæ,
Pimpinellæ albæ ana unciam ſemis,
Contrayervæ,
Dictamni albi,
Helenii,
Valerianæ,
Vincetoxici ana unciam unam.

Cum

Spiritus Vini rectificati libris quatuor & unciis octo,

extrahatur Eſſentia, quæ, expreſſa & filtrata, ſervetur.

*Hæc Eſſentia tranſpirationem naturalem & lenem diureſin promovet, unde & in ipſis febribus continuis, ardentibus atque malignis (id quod tamen noſtris in oris vix conceſſum eſt) commendatur. Laudatur in malo hypochondriaco, hyſterico, quartana &c. Datur ad guttas viginti, triginta & ultra, pro ratione circumſtantiarum.*

## ESSENTIA ALEXIPHARMACA TEMPERATA STAHLII.

℞. Radicis Hirundinariæ,
Pimpinellæ albæ ana uncias tres,
Herbæ Scordii uncias duas.

Inciſa infundantur & extrahantur

Spiritus Vini rectificati libris tribus.

Exprimantur, filtrentur atque, tertia parte Spiritus per deſtillationem ex Maris Balneo evocata, reſiduum ſervetur.

*Temperatior & mitior eſt ordinaria, ideoque tutius, etiam exæſtuationi ſanguinis pronis, dari poteſt. Doſis guttæ quadraginta, ad ſexaginta.*

## ESSENTIA AMARA.

℞. Radicis Angelicæ,
Pimpinellæ albæ ana drachmam unam ſemis,
Gentianæ drachmam unam,
Herbæ Tanaceti,
Trifolii fibrini ana drachmas duas,
Chamædryos,
Scordii,
Florum Centaurii minoris ana drachmam unam,
Herbæ Mari veri drachmam ſemis,
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Fiat lege artis Eſſentia, quæ ſervetur ad uſum.

*Stomachica, anthelmintica & anticolica eſt.*

## ESSENTIA AMBRÆ.

℞. Ambræ,
Salis Alcali fixi acerrimi ana drachmas duas.

Terantur & miſceantur exacte in mortario; tum immittantur in cucurbitam vitream & affundantur

Spiritus Roſarum, cum Alcali rectificati, unciæ duodecim.

Digerantur cum ebullitione per duos dies tandemque filtrentur.

*Medicamentum eſt cordiale & cephalicum; commendatur in vertigine, apoplexia, memoria confortanda, tam præſervative, quam curative. Datur ad guttas aliquot, ad viginti uſque & ultra.*

## ESSENTIA ANODYNA OFFICINALIS.

℞. Extracti Opii, Aqua fontana parati, unciam unam,
Aquæ Cinamomi cum Vino uncias novem.

Poſt ſufficientem digeſtionem filtrentur.

*Inſervit acutiſſimis totius corporis mitigandis doloribus, vigiliis nimiis coërcendis ac fluxibus ſiſtendis. Doſis eſt ad guttas aliquot, ad decem, ad viginti, in quovis liquore. Scrupulus Eſſentiæ continet Opii grana duo cum duabus nonis partibus.*

## ESSENTIA ANODYNA *ſive* LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMII.

℞. Opii depurati uncias duas,
Croci unciam unam,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Cinamomi ana drachmam unam.

Pulveriſata infundantur in

Vini Hiſpanici libra una.

Digerantur per tres, vel quatuor dies. Colatura ſervetur ad uſum.

*Viribus & uſu cum priori convenit. Drachma una Eſſentiæ continet Opii grana decem; Croci grana quinque.*

## ESSENTIA CARDUI BENEDICTI.

Fit ut Eſſentia Abſinthii ſimplex.

*Cui etiam in virtutibus quam maxime reſpondet inque cujus doſi etiam uſurpatur.*

## ESSENTIA CARMINATIVA WEDELII.

℞. Radicis Zedoariæ unciam unam,
Carlinæ,
Galangæ ana unciam ſemis,
Acori veri,
Baccarum Lauri,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Corticum Aurantiorum,

Florum Chamomillæ Romanæ,
Seminis Aniſi,
Carvi ana drachmam unam ſemis,
Macis drachmam unam.

Conciſa & contuſa groſſo modo miſceantur & extrahantur cum

Spiritus Corticum Citri, Spiritu Nitri, qui extractione per aliquod tempus jam facta demum addendus, ſatis acidulati, unciis viginti.

Eſſentia expreſſa & filtrata ſervetur.

*Non tantum ad flatus pellendos, ſed & dolores colicos, cardialgiam, ſuffocationes hypochondriacas & hyſtericas commendatur; inſuper quoque ventriculum roborat & coctionem juvat. Doſis à guttis viginti, ad quadraginta & ultra. In noſtris regionibus commode cum Spiritu Nitri dulci jungitur.*

## ESSENTIA CASTOREI.

℞. Caſtorei uncias tres,
Salis Tartari drachmas tres.

Caſtoreum minutim inciſum & Sali Tartari permixtum, cum Spiritus Vini rectificati libris duabus, per octiduum digerendo, extrahatur Eſſentia, quæ, expreſſa, filtretur & ſervetur.

*Commendatur in affectibus nervinis capitisque morbis, lethargo, paralyſi, apoplexia, epilepſia; affectibus itidem flatulentis & in paſſionibus hyſtericis. Datur ad guttas viginti, quadraginta & ultra. Externe quoque in difficili auditu, tinnitu aurium, loquela amiſſa & membris paralyticis laudatur.*

## ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM EX CORTICIBUS RECENTIBUS MATURIS.

℞. Corticum Aurantiorum exteriorum, recentium, maturorum, uncias ſex,
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Abſtrahatur in Balneo Maris à Corticibus Spiritus Vini, in quo dein novi Cortices Aurantiorum recentes exteriores infundantur, ſumendo eorum uncias quatuor: poſt octiduanam digeſtionem liquor tinctus filtretur. Poteſt etiam pro lubitu edulcorari vel Saccharo, vel Syrupo è Corticibus Aurantiorum.

*Stomachica & carminativa eſt.*

*eſt. Datur ad guttas viginti, ad triginta.*

Eodem modo paratur

ESSENTIA CORTICUM AURANTIORUM E CORTICIBUS SICCIS.

Ita ut, ad Spiritus libram unam, ſumantur Corticum unciæ quatuor; prior tamen gratior & efficacior eſt.

ESSENTIA CORTICUM CASCARILLÆ.

Eodem modo fit ac Eſſentia Corticum Chinæ.

*Ad eoſdem quoque uſus eſt dicata & eadem doſi uſurpatur.*

ESSENTIA CORTICUM CHINÆ.

℞. Corticum Chinæ Chinæ pulveriſatorum unciam unam,
Salis Tartari drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati uncias octo.

Stent in digeſtione debito tempore, poſtea Tinctura bene ſaturata, expreſſa, filtretur.

*Febribus intermittentibus profligandis dicata Eſſentia, adhibetur ad guttas viginti, triginta & ultra, aliquoties de die. Optime autem ſe habet ejus uſus poſt profligatas febres, ad recidivam præcavendam.*

ESSENTIA CROCI.

℞. Croci Auſtriaci unciam unam,
Spiritus Vini rectificati libram unam.

Digere per tempus, ad ſaturatam Tincturam extrahendam, tunc effunde & ſerva.

*Vires obtinet cordiales, pectorales, hyſtericas & anodynas; exhibetur à gutta una, ad decem & ultra, in vehiculo appropriato.*

ESSENTIA LIGNORUM.

℞. Ligni Sancti uncias tres,
Santali citrini,
rubri ana unciam unam,
Saſſafras uncias duas,
Rhodii unciam ſemis,
Radicis Chinæ,
Sarſaparillæ ana unciam unam.

Inciſis affundantur

Spiritus Vini rectificati libræ quatuor ſemis.

Octiduana digeſtione extrahatur Eſſentia, quæ filtretur.

*In maſſa ſanguinis depuranda, ſudore movendo laudatur; hinc in morbis venereis, ſcabie, affectibus catarrhalibus egregie conducit. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam unam & ultra.*

## ESSENTIA LIGNORUM CONCENTRATA.

Fit à priori Eſſentia dimidiam partem Spiritus Vini de novo abſtrahendo.

*Sic enim longe acrior, ſed & penetrantior evadit & in prædictis morbis, majori quoque cum ſucceſſu, ad guttas triginta, quadraginta, ſexaginta & ultra adhibetur.*

## ESSENTIA MACIS.

℞. Macis uncias quatuor,
Liquoris Nitri fixi uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libras duas.

Digere per tempus & Eſſentiam ſaturatam filtra.

*Vires obtinet ſtomachicas, carminativas & anticolicas, conducit in cruditatibus acidis & viſcidis. Anorexiæ dyſpepſiæque medetur. Datur ad guttas viginti, quadraginta & ultra.*

## ESSENTIA MILLEFOLII.

℞. Herbæ Millefolii cum Floribus uncias duas,
Spiritus Vini rectificati uncias ſedecim.

Digere & extrahe rurſusque affunde

Millefolii recentis unciis duabus.

Macera &, poſt ſufficientem extractionem, exprime & filtra; ſic habebis Eſſentiam Millefolii ſaturatam.

*Commendatur in fluxu menſium nimio, hæmorrhagia uteri, in vomitu nephriticorum & cruento, in fluxu hæmorrhoidum nimio & fluore albo. Datur ad guttas viginti, triginta & ultra.*

## ESSENTIA MYRRHÆ.

℞. Myrrhæ electæ pulveriſatæ uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias octo.

Digerantur in vaſe vitreo calore leni, donec Eſſentia probe ſit tincta, poſtea decantetur & filtretur.

*Uſurpatur interne & externe, calefacit atque roborat, diſcutit atque aperit. Sudorifera eſt alexipharmaca, anthelmintica, em-*

*menagoga atque ſtomachica. Externe convenit in gangræna, ſphacelo atque carie imprimis oſſium, vulneribus & ulceribus ſordidis &c. Datur interne ad guttas ſex, ad triginta & ultra.*

### ESSENTIA MYRRHÆ ALCALISATA.

℞. Myrrhæ electæ uncias quatuor,
Olei Tartari per deliquium quantum ſatis.

Subigantur cum ſe invicem, donec puls ſpumida evadat, & ſtent in digeſtione uſque dum ſiccentur; tunc affunde

Spiritus Vini rectificatiſſimi libras duas.

Extrahe lege artis Tincturam ſaturatam.

*Hæc cum præcedenti iiſdem viribus gaudet, niſi quod externe, propter Sal Alcali dolores excitans, non adhibenda ſit.*

### ESSENTIA PIMPINELLÆ ALBÆ EX RADICE.

℞. Radicis Pimpinellæ albæ exſiccatæ unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Digerantur per aliquot dies, poſtea exprime & filtra.

*Virtute gaudet diaphoretica & alexipharmaca, unde in febribus continuis, benignis & malignis, cæteris paribus, commendatur. Laudatur quoque in colica, impuritatibus lymphæ, à cauſa frigida, & ſpecifice in affectibus faucium, ſcabie & aliis cutis vitiis. Doſis guttæ viginti, triginta & ultra.*

### ESSENTIA SCORDII EX HERBA.

Eodem modo fit ac Eſſentia Millefolii.

*Diaphoretica, alexipharmaca & antiſcorbutica habetur. Datur ad guttas viginti, triginta & ultra.*

### ESSENTIA STOMACHICA AD METHODUM HOFFMANNI.

℞. Radicis Acori,
Angelicæ,
Galangæ minoris,
Zedoariæ ana drachmas tres,
Herbæ Cardui Benedicti,
Menthæ criſpæ,
Millefolii,
Trifolii Fibrini,
Summitatum Centaurii minoris,
Florum Chamomillæ Romanæ ana drachmas duas,

Corticis Caſcarillæ unciam ſemis,
Aurantiorum recentis,
Citri recentis ana drachmam unam ſemis,
Coſti veri ſcrupulos quatuor,
Macis,
Nucis Moſchatæ,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana drachmam unam.

Inciſa, contuſa irrorentur

Olei Tartari per deliquium uncia una.

Poſtea affundatur

Vini Hiſpanici Alicantici menſura ſemis.

Digerantur per aliquot dies, dein Eſſentia filtretur.

*Vi ſtomachica & carminativa inſigni pollet ac in noſtris regionibus, ob menſtruum tantum Vinoſum, tutius præ aliis Eſſentiis ſtomachicis uſurpatur. Datur ad guttas octoginta, ad centum, aut parvum cochlear.*

## ESSENTIA SUCCINI.

℞. Succini flavi ſubtiliſſime triti uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias octo.

Leni calore, in phiala optime clauſa, per aliquot dies digerantur & aliquoties moveantur; tandem liquor tinctus filtretur.

*Anticatarrhale, balſamicum, nervinum & externe egregium eſt vulnerarium, præſertim cum Eſſentia Myrrhæ aut Balſamo Peruviano remixta. Interne datur ad guttas viginti, triginta & ultra.*

## ESSENTIA SUCCINI ALCALISATA.

℞. Succini flavi ſubtiliſſime pulveriſati unciam unam,
Alcaheſt Glauberi quantum ſatis.

Subigantur cum ſe invicem, donec puls ſpumida evadat; maſſa hæc, per viginti quatuor horas, ſibi relicta, teratur denuo cum Alcaheſt Glauberi recenti eidemque, in phialam immiſſæ, poſtea affundantur

Spiritus Vini rectificatiſſimi unciæ octo.

Digeſtionis protractioris, vel coctionis ope extrahatur Tinctura. Spiritus, ſub coctione in receptaculum tranſtillans, rurſus affundatur & ſola digeſtione tandem

dem perficiatur Eſſentia, quæ, colata, uſui ſervetur.

*Viribus iisdem ac antecedens gaudet, niſi quod ob menſtruum alcalinum externe applicanda non ſit.*

## ESSENTIA TERRÆ CATECHU.

℞. Catechu, ſive Terræ Japonicæ contritæ, drachmas duas.

Solvatur leni calore in

Spiritus Vini rectificati uncia una.

Poſtea filtretur Eſſentia.

*Ob vim adſtringentem, in fluxibus alvinis & hæmorrhagiis compeſcendis, in gonorrhœa inveterata; porro in vacillatione dentium, nec non ad ventriculum roborandum & ad catarrhos laudatur. Doſis ad guttas decem, viginti & ultra.*

## ESSENTIA TRAUMATICA WEDELII.

℞. Mumiæ,
Sanguinis Draconis ana unciam unam,
Myrrhæ,
Radicum Tormentillæ,
Terræ Japonicæ ana unciam ſemis,
Florum Hyperici,
Roſarum rubrarum ana drachmas duas,
Santali rubri drachmas tres,
Nuciſtæ drachmam unam.

Inciſis, contuſis, extrahe cum

Spiritus Vini Tartariſati unciis viginti,

leni calore, Eſſentiam, quæ decantata uſui reponatur.

*Vires prædicantur inſignes in hæmoptyſi, vomitu cruento, menſibus immodicis, dyſenteria &c. cum Tinctura Coralliorum, Anodyna, Martis adſtringente, Elixirio pectorali. Doſis guttæ viginti, ad triginta & ultra.*

## ESSENTIA TRIFOLII FIBRINI.

Paratur ſicut Eſſentia Abſinthii.

*Colore viridi elegantiſſima Tinctura, virtutes obtinet inſignes ſtomachicas, antiſcorbuticas atque deoppilativas, unde & in malo hypochondriaco obſtructionibusque lienis commendatur. Datur ad guttas triginta & ultra.*

## EXTRACTA SIMPLICIA.

Proſtant apud nos

Extractum Abſinthii,
Cardui Benedicti,
Centaurii Minoris,
Cochleariæ,
Ellebori Nigri,
Enulæ,
Fumariæ,
Gentianæ,
Ligni Sancti,
Saſſafras,
Tormentillæ.

Extracta hæc ſimplicia fiunt affundendo ſimplicibus, ex quibus virtutem extrahere volumus, menſtruum aptum, vel aqueum, vel vinoſum, vel ſpirituoſum. Liquor deinde per coctionem, vel digeſtionem ſaturatus, per inclinationem decantatur & per evaporationem, vel deſtillationem inſpiſſatur ad debitam conſiſtentiam. Aquoſa infuſa & decocta prius albumine Ovi clarificentur.

*Singula hæc Extracta vires ſuorum ſimplicium obtinent.*

## EXTRACTUM ALOES GUMMOSUM.

℞. Aloës Succotrinæ quantum vis.

Infunde in Aqua ſimplici, poſtmodum leniter coque & colaturam ad debitam conſiſtentiam redige.

*Hoc Extractum à ſubſtantia reſinoſa, torminum & teneſmi hæmorrhoidalis auctore, liberatum, Extracto reſinoſo merito præfertur, pro ſcopo laxandi; daturque vel per ſe, ad grana aliquot, ad ſcrupulum unum, vel pro baſi, pilularum laxantium & purgantium, inſervit.*

## EXTRACTUM CASTOREI.

Fit extrahendo Tincturam Caſtorei cum Spiritu Vini, illum abſtrahendo, ut rurſus inſervire queat, ad ſpiſſitudinem juſtam.

*Ad apoplexiam, epilepſiam, lethargum &c. affectus ſpaſmodicos & uterinos commendatur. Doſis grana aliquot.*

## EXTRACTUM CATHOLICUM.

℞. Extracti Aloës Succotrinæ, Aqua fontana parati, unciam unam,
Ellebori nigri aquoſi drachmas duas,
Colocynthidis drachmam unam,

Reſinæ Jalappæ drachmas tres.

Miſce.

*Omnes promiſcue humores evacuat. Datur à granis decem, quindecim, ad ſcrupulum unum.*

## EXTRACTUM CORTICIS CASCARILLÆ,

### CUM AQUA ET VINO FACTUM.

℞. Corticum Caſcarillæ confractorum quantum vis.

Infunde in Aqua fervente, digerendo per viginti quatuor horas; poſtea fortiter exprime &, expreſſum liquorem evaporando, in Extracti conſiſtentiam redige. Remanentiam à priori infuſo infunde in Vino ac, ut antea, Extractum para; poſtea cum priori Extracto conjunge.

*Commendatur in febribus intermittentibus, continuis & catarrhalibus, variolis atque morbillis, ut & in alvi fluxibus. Doſis grana quinque, modo plura, modo pauciora; aut in formam Pilularum redacta, aut in Potiuncula ſoluta.*

## EXTRACTUM CHINÆ CHINÆ.

Fit cum Spiritu Vini.

*Datur ad grana quinque, decem, viginti & ultra, in febribus intermittentibus, tam curative, quam præſervative.*

## EXTRACTUM COLOCYNTHIDIS.

Paratur Fructum Colocynthidis Spiritu Vini extrahendo, poſtea Aqua fontana coquendo, & ambas extractiones clarificatas, leni calore, in Extracti conſiſtentiam evaporando.

*Datur à granis quatuor, ſex, ad decem. Purgat fortiter. Præſtat illud cum aliis purgantibus, ut ſtimuli loco inſerviat, jungere, quam ſolum exhibere.*

## EXTRACTUM CROCI.

Paratur cum Spiritu Vini, parum ſaltem rectificato, leni menſtrui, ſeu Spiritus Vini Crocati, in cucurbita abſtractione, ad conſiſtentiam melle nonnihil ſpiſſiorem: ſub perfecta enim inſpiſſatione partes balſamicæ volatiles, quibus præcipua virtus debetur, ita expelluntur, ut maſſa in operando valde debilis relinquatur.

*Cordiale eſt, cephalicum, uterinum atque anodynum. Doſis aliquot grana tantum.*

## EXTRACTUM LIQUIRITIÆ GUMMOSUM,
*ſeu*
## GLUTEN PECTORALE.

℞. Liquiritiæ raſæ & contuſæ unciam unam.

Infunde, per viginti quatuor horas, in

Aquæ tepidæ libris quatuor.

In colatura lento igne diſſolve

Gummi Arabici electi,
Sacchari albi ana uncias ſedecim.

Coque ad debitam conſiſtentiam, poſtea modulis infunde & leniter ſicca.

*Pectori dicatum eſt remedium.*

## EXTRACTUM MARTIS CUM SUCCÒ POMORUM.

℞. Limaturæ Martis puriſſimæ libram ſemis.

Superfunde

Succi Pomorum acidorum, recens expreſſi & depurati, libras duas.

Stent in digeſtione, loco calido, in cacabo ferreo, per plures dies; poſtea coquantur, ſpatula continuo agitando, lento igne, ad dimidiæ partis conſumtionem; clarum à ſpiſſo colando ſeparetur &, ad Extracti conſiſtentiam inſpiſſatum, reponatur.

*Datur à granis quindecim, ad triginta, ſcopo aperiendi, & obſtructiones reſerandi; inſervit præprimis in paſſionibus hypochondriacis & hyſtericis.*

## EXTRACTUM OPII.

℞. Opii Thebaici groſſe contuſi quantum vis.

Cum affuſa Aqua ſimplici leniter coquatur, uſque dum liquor ſatis tinctus appareat, ſub continua agitatione; liquor colatus, leni evaporatione, ad Extracti conſiſtentiam redigatur.

*Doſis hujus Extracti anodyni per ſe eſt ad granum unum, duo, tria vel quatuor.*

## EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM.

℞. Radicis Jalappæ reſinoſæ drachmas ſex,
Rhabarbari electi,
Seminis Ebuli ana drachmas tres,
Colocynthidis drachmas quinque,
Agarici optimi drachmas tres ſemis,
Hermodactylorum,
Turbith albi ana drachmas duas ſemis,

Ellebori

Ellebori nigri drachmas duas,
Foliorum Sennæ unciam unam,
Spiritus Vini quantum ſatis.

Stent ſimul in infuſione, loco calido; colentur & exprimantur. In hoc liquore diſſolvatur

Aloës Succotrinæ uncia una ſemis.

Filtrentur &, Spiritum Vini abſtrahendo, ad Extracti ſpiſſitudinem redigantur.

*Familiare eſt purgans ad omnes humores vitioſos è corpore eliminandos. Datur ad grana quindecim, ad drachmam dimidiam; miſcetur etiam cum aliis.*

## EXTRACTUM RHABARBARI SIMPLEX.

Fit extractionem inſtituendo cum Aqua ſimplici & inſpiſſando.

*Datur à granis quindecim, ad ſcrupulos duos, ſcopo laxandi; ſed lente & tarde operatur.*

## FEBRIFUGUM D<sup>R</sup>. CRAAN

*vid.*

## REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS.

## FLORES BENZOES.

Gummi Benzoës albicans ac ſplendens pulveriſatum, & cum quatuor, quinque, ſex, imo pluribus arenæ puræ partibus mixtum, ollulæ vitreatæ injicitur, hæc inter carbones candentes collocatur &, impoſito cucullo pyramidali chartaceo, ſublimatio, igne leniſſimo, peragitur. Obſervato decenti ignis regimine, Flores, primum elevati candidiſſimi ſunt & cuculli lateribus ſub forma flocculorum nivalium, vel exiliſſimarum & mutuo implicitarum haſtularum, politi argenti inſtar ſplendentium, adpoſiti cernuntur; reliqui autem, qui ultimo, vel admoto etiam igne fortiori, aſcendunt, aliqua flavedine, quam ipſis Oleum craſſius ſimul evectum inducit, tincti reperiuntur: hinc priores etiam, alio interim impoſito cucullo, penna anſerina tempeſtive abſtergere & ſeorſim aſſervare præſtat.

*Flores hi, aciditate gaudentes, pectorales ſunt & aſthmaticis conducibiles. Utplurimum becchicis immiſceri ſolent. Doſis grana tria, ad decem.*

## FLORES SALIS AMMONIACI SIMPLICES
### PER SUBSIDENTIAM SEU PRÆCIPITATIONEM.

℞. Salis Ammoniaci quantum placet.

Solvatur in Aqua calida & ſolutio filtretur; poſtea in locum frigidum reponatur &, Flores in liquore ſubſidentes, exſiccentur; liquor vero remanens, pro ulteriori Florum collectione, per exhalationem concentretur.

*Aperientes, ſtomachici atque febrifugi ſunt; vim quoque obtinent diaphoreticam. Doſis eſt ad grana tria, quatuor, ſcrupulum ſemis & ultra.*

## FLORES SALIS AMMONIACI MARTIALES.

℞. Limaturæ Martis puræ partem unam,
Salis Ammoniaci partes duas.

Mixta cucurbitæ vitreæ injiciantur & ſublimatio, impoſito alembico roſtrato, in Arenæ Balneo, inſtituatur. In principio parum liquoris flaveſcentis ſalſo urinoſi aſcendit & in vitro minori, roſtro alembici appenſo, colligitur; deinde Flores ſequuntur, & teneriores quidem, ſubflavo colore præditi, ipſi alembico; craſſiores vero & graviores, luteo rufeſcentes ſive ferruginei, cucurbitæ ſaltem lateribus ſuperioribus adhæreſcunt. Caput mortuum in fundo relictum, colorem fuſco nigricantem obtinet &, aëri humidiuſculo aliquandiu expoſitum, quoad partem in liquorem ſubfuſcum, valde ſtypticum, reſolvitur: imo ſi modica ſaltem ejus portio in Spiritu Vini ſolvitur, fortis inde Tinctura Martis adſtringens reſultat.

*Reſolvunt & leniter adſtringunt; hinc in morbis ab atonia ſolidorum & viſciditate fluidorum conducunt. Doſis à granis quinque, ad quindecim.*

## FLORES SULPHURIS.

℞. Sulphuris communis, in fruſtula redacti, quantum vis.

Injice in cucurbitam terream vitreatam &, impoſito alembico vitreo, ex arena ſublima, igne non nimium intenſo, ne Sulphur fluat, quod ita in Flores ſublimatur, qui, repetitis ſæpe alternis alembicorum vicibus, ſunt colligendi, & denuo Sulphuris ſubinde aliquid cucurbitæ immittendum, quouſque ſufficiens Florum quantitas collecta fuerit.

*In tuſſi, phthiſi, aſthmate, affectibus catarrhalibus, ſcabie &c. commendantur. Doſis eſt ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.*

## GELATINA CORNU CERVI
### Simplex et Sicca.

℞. Raſuræ Cornu Cervi uncias ſex,
Aquæ fontanæ libras duas.

Coque lento igne, vaſe clauſo. Colaturam clarificatam in locum frigidum repone, ut in Gelatinam concreſcat.

*Convenit in multis & magnis morbis, ubi demulcendum, humectandum, refrigerandum & confortandum eſt. Doſis cochlear unum, vel alterum; vel per ſe, vel in juſculo.*

Si ad ſiccitatem inſpiſſatur, *Gelatina Cornu Cervi ſicca* audit, quæ etiam in officinis aſſervari ſolet.

## GLOBULI MARTIALES
*vid.*
LAPIS MARTIALIS.

## GLUTEN PECTORALE
*vid.*
EXTRACTUM LIQUIRITIÆ GUMMOSUM.

## HERBÆ VULNERARIÆ.

℞. Herbæ Agrimoniæ,
Alchimillæ,
Betonicæ,
Bugloſſæ,
Capillorum Veneris,
Herbæ Farfaræ,
Pulmonariæ maculoſæ,
Saniculæ,
Veronicæ,
Vincæ per Vincæ ana uncias duas,
Florum Bellidis,
Farfaræ ana unciam unam.

Miſce.

*Vires ex nomine patent. Uſurpantur vel in infuſo theiformi, vel ex iis potiones vulnerariæ decoquuntur, ubi uncia Specierum, ad libras duas liquoris, ſumi poteſt.*

## JULEPUS ROSARUM.

℞. Aquæ Roſarum fragrantiſſimæ uncias quatuordecim,
Sacchari albi libras duas.

Solvatur Saccharum in Aqua ſuper igne moderato. Poſt unicam ebullitionem coletur ſerveturque.

*Cordialis cenſetur.*

## JULEPUS VIOLARUM.

Uti præcedens cum Aqua Violarum & Saccharo conficitur.

*Refrigerandi confortandique fine præſcribitur.*

## LAPIS CALAMINARIS PRÆPARATUS.

Præparatur ut Corallia.

*Abſtergit & exſiccat, prodeſt in intertrigine infantum & excoriationibus perinæi; ingreditur Unguenta epulotica & ſarcotica. Interne nunquam uſurpatur.*

## LAPIDES CANCRORUM CITRATI.

Præparantur ut Conchæ citratæ.

*Iisdem quoque viribus gaudent eademque doſi adhibentur.*

## LAPIDES CANCRORUM PRÆPARATI.

Fiunt illos Aqua ſimplici abluendo, in porphyrite terendo inque alcohol redigendo.

*Abſorbent acidum & tranſpirationem promovent. Doſis ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam.*

## LAPIS CRYSTALLUS MONTANA PRÆPARATA.

Paratur calcinando prius Cryſtallum, extinguendo in Aqua, poſtea cum Aqua communi lævigando.

*Acidum abſorbere & adſtringere, dolorem & ardorem ventriculi corrigere, lac quoque augere dicitur. Datur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.*

## LAPIS HÆMATITES PRÆPARATUS.

Cum Aqua ſimplici lævigatur.

*Uſus potiſſimum pro ſcopo adſtringendi.*

## LAPIS HYACINTHUS PRÆPARATUS.

Paratur ut Hæmatites.

*Gaudet virtute adſtringente & juxta quosdam alexipharmaca. Inde Confectio de Hyacintho paratur.*

## LAPIS INFERNALIS.

℞. Lunæ cupellatæ, limatæ, unciam unam.

Solve in

Spiritus Nitri, aut Aquæ fortis unciis duabus vel tribus.

Poſtea humiditatem ad partis tertiæ remanentiam evapora, reſiduum trade crucibulo amplo, & igni moderato impone tamdiu, quouſque inſtar olei compareat; mox effundatur in canalem cylindraceum aptum, ſevo illitum & calefactum; poſt refrigerationem

rationem Lapis eximatur, & in vitro bene clauſo ſervetur; alias deliquium ſubiret quandoque.

*Cauterium hocce Lunare, communiſſimum hodiernis temporibus, mollem depaſcitur cutis carniſque ſubſtantiam, & excreſcentiis, verrucis & fiſtularum, ulcerum vulnerumque oſtiis calloſis abſumendis fonticuliſque excitandis inſervit.*

## LAPIS MARTIALIS IN GLOBULIS, *ſeu* GLOBULI MARTIALES.

℞. Limaturæ Ferri præparatæ libram ſemis,
Tartari albi pulveriſati libram unam.

Miſce in cucurbita, affunde

Spiritus Vini uncias octo.

Maſſam calori ſolis, vel fornacis, vel Balnei expone, ut digeratur & leniter exſiccetur. Cui denuo pulveriſatæ affunde

Spiritus Vini eandem quantitatem.

Procede ut ſupra, idque toties repete, donec maſſa exſiccata quaſi reſinoſa appareat. Ex hac maſſa globulos efformabis ovi magnitudine.

*Inſervit præprimis pro uſu externo ad vulnera & hæmorrhagias. Diſſolvitur in Aqua & Spiritu Vini, uſque dum liquores bene ſaturati ſint, & tum imbuuntur linteamina & applicantur; vel liquor injicitur ad hæmorrhagiam uteri & nimium menſium fluxum. Interne quoque conducere poteſt, ſcopo roborandi & aperiendi, ad grana decem, quindecim & ultra.*

## LAPIS MEDICAMENTOSUS.

℞. Aluminis,
Colcothar Vitrioli ana libram unam ſemis,
Salis Tartari uncias tres.

Immitte in ollam vitreatam, affunde modicum Aceti acerrimi, coque lento carbonum igne, ſæpius agitando, ubi incipit ſpiſſeſcere, adde

Ceruſſæ libram ſemis,
Boli Armenæ uncias quatuor.

Diligenter miſceantur omnia, donec, vi ignis mediocris, in lapidis duritiem maſſa concreverit, qui lapis poſtea fracta olla eximendus & ad uſus ſuos ſervandus.

*Ad omnis generis vulnera conſolidanda & ulcera mundificanda*

*conducit. Modus utendi hic eſt: liqueſcat ejus uncia una in libra una Aquæ pluvialis, vel fluviatilis, filtretur & poſtmodum filtrato liquore utere, tum lavando, tum linteola imbuendo & imponendo.*

## LAPIS NEPHRITICUS PRÆPARATUS.

Paratur ut Hæmatites.

*Laudatur in affectibus nephriticis, urina pellenda & calculo tum præſervando, tum curando.*

## LAPIS PERCARUM PRÆPARATUS.

Præparatur ut Lapides Cancrorum.

*Simili fere virtute pollet eademque doſi adhibetur.*

## LAPIS PRUNELLÆ

*vid.*

SAL PRUNELLÆ.

## LAUDANUM LIQUIDUM SYDENHAMII

*vid.*

ESSENTIA ANODYNA.

## LIQUAMEN FLORUM VERBASCI

*vid.*

OLEUM VERBASCI PER INSOLATIONEM.

## LIQUOR ANODYNUS MINERALIS HOFFMANNI.

℞. Olei Vitrioli rectificati, vel etiam vulgaris, probe tamen adhuc fumantis libram unam,
Spiritus Vini Gallici, optime dephlegmati, non tamen Tartariſati, libras quatuor.

Spiritui Vini in vaſe vitreo capaci, mundo, epiſtomio vitreo inſtructo, ſucceſſive & guttatim inſtilla Oleum Vitrioli, quod non ſine ſtrepitu & calore inſigni fit, atque mixtionem, agitatione vitri, promove. Mixturam digeſtioni frigidæ, per aliquot dies, expone & poſtea deſtillationem ex retorta, (aut ſi quis ad Oleum ſubſequens non attendat ex cucurbita,) in Balneum arenæ non profunde, ſed ſuperficiarie immiſſa, igne leniſſimo inſtitue. Prodibit ſic primo Spiritus mobiliſſimus, fragrans, inflammabilis, qui *Naphthæ Spiritus* vocatur, cui, dimidia circiter parte evocata, ſuccedit Spiritus, ſatis quidem adhuc fragrans, aſt magis ſulphureus, acidus, aquoſus & non amplius inflammabilis; quem cum priori vel conjunctim, vel ſeorſim excipere poteris, obſervando ut ſub finem

recipiens ſæpius removeatur, ne phlegma ſubſequens Spiritus activitatem & gratiam turbet. Quando nempe materia in fundo retortæ ebullire & in offam nigram abire incipit, tunc continuato calore leniſſimo, ne offa hæc, quod facile alias accidit, ſimul tranſcendat ſicque totus labor perdatur, expellitur Phlegma ſulphureum, acidum, odoris & ſaporis fortis ac nauſeoſi, una cum Oleo æthereo fragrantiſſimo, aromatico, coloris nunc limpidi, nunc flaveſcentis, nunc viridiſcentis, phlegmati partim innatante, partim in eo ſubſidente, quod quantocyus à phlegmate ſeparatum, *Oleum Vitrioli Dulce*, *Naphtha Vitrioli*, *Oleum Naphthæ*, *Oleum Vini Æthereum* &c. audit. Prolecti Spiritus commixti, Spiritum Vitrioli dulcem proprie conſtituunt, quem vulgo, etiam apud noſtrates, pro vero illo adeo celebrato *Liquore Anodyno Minerali* HOFFMANNI venditare ſolent: aliis pro genuino Liquore Anodyno, Spiritum illum Vitrioli Dulcem, in quo vel tota quantitas Olei Vitrioli Dulcis evocati, vel ejus tantum guttulæ ſex, in uncia una Spiritus ſolutæ fuerint, ſolum agnoſcentibus: licet ex ipſis HOFFMANNI ſcriptis ſatis aperte conſtare videatur, Liquorem ejus Anodynum nil aliud eſſe, quam Oleum Vitrioli Dulce, in Spiritu Vini rectificatiſſimo ſolutum. Reſiduo in retorta nova Spiritus Vini rectificatiſſimi portio ſuperfundi &, prævia digeſtione frigida, moderato calore, rurſus Spiritus deſtillari poteſt, priori fragrantior, adeoque commode cum eodem miſcendus. Si forſan poſt deſtillationem Liquor nimia adhuc acredine polleret, aut odorem nimis ſulphureum ſpiraret, vel tractu temporis tale vitium contraheret, corrigitur illud, additione pauxilli Salis Tartari ſoluti, aut Spiritus Salis Ammoniaci vinoſi, ſubjuncta, ſi volupe eſt, abſtractione; vel etiam rectificando Liquorem, ſive per ſe, ſive, quod melius, cum nova portione Alcoholis, aut etiam cum Aquæ parte æquali.

*Inſigne eſt anodynum & antiſpaſmodicum, nec non diureticum, diaphoreticum & alexipharmacum; præſertim ſi cum Spiritu Bezoardico Buſſii miſcetur. Datur ad guttas quinque, decem, viginti, triginta & ultra. Calidis non conducit.*

## LIQUOR APERITIVUS.

℞. Salis Catharctici amari,

Tartari ſolubilis ana unciam unam,
Vitriolati unciam ſemis.

Diſſolve in

Aquæ fontanæ unciis decem,

*Aperit, urinam ciet, alvum laxat & expurgat. Doſis ad uncias duas, ad uncias tres.*

## LIQUOR CORNU CERVI SUCCINATUS.

℞. Spiritus volatilis Cornu Cervi rectificati quantum volueris.

Adde per vices

Salis volatilis Succini quantitatem ſufficientem ad punctum ſaturationis.

Digere per biduum, in vaſe clauſo, Balneo Maris & ſerva.

*Conducit in motibus convulſivis & epilepticis, ut & morbis ſoporoſis. Datur, pueris ad guttas aliquot, adultis ad guttas duodecim & ultra.*

## LIQUOR NITRI FIXI.

Nihil aliud eſt, quam ſolutio Nitri fixi per deliquium. Vide ſub *Nitro fixo*.

## LIQUOR SIVE SAL VOLATILE OLEOSUM SYLVII.

℞. Cinamomi acuti uncias duas,
Caryophyllorum Aromaticorum,
Corticum Aurantiorum exteriorum recentium,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana unciam unam,
Cinerum clavellatorum uncias ſedecim.

Inciſa & contuſa digerantur per noctem cum

Spiritus Vini vulgaris menſura una.

Poſtea additis

Salis Ammoniaci, cum Aqua fontana ſoluti, unciis octo,

lento igne deſtillentur liquoris circiter unciæ decem, pro uſu in vitro probe clauſo reponendæ.

*Eſt cephalicum, ſtomachicum, carminativum & anticolicum. Doſis guttæ decem, viginti & ultra, in vehiculo conveniente.*

## LIQUOR SPLENETICUS EX TARTARO ET NITRO SCHROEDERI.

℞. Tartari libram unam,

Nitri

Nitri libram ſemis.

Miſce exacte, injice crucibulo ignito, vel immitte in ollam & carbone ardente accende, ſic detonabuntur invicem. Hinc pulveriſa ac affunde

Aquæ ferventis libras quatuor.

Digere in loco calido, agitando; poſtea colentur: tandem adde

Tartari libram unam.

Digerantur per dies octo, poſtea filtrentur pro uſu.

*Inſigne eſt deoppilativum in obſtructionibus infimi ventris, adeoque utile in hypochondriaca ſcorbuticaque affectione, menſium obſtructione & affectibus nephriticis. Doſis cochlear ſemis, ad unum, vel ad drachmas duas, ad unciam ſemis, cum aliis appropriatis vehiculis.*

## LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI PER DELIQUIUM

*vid.*

TERRA FOLIATA TARTARI.

## LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI LIMPIDUS

*vid.*

TERRA FOLIATA TARTARI.

## LOHOCH AD ASTHMA *ſive* DE SCILLA.

℞. Scillæ præparatæ unciam ſemis,
Hyſſopi,
Marrubii ana drachmam unam,
Iridis drachmas duas,
Croci,
Myrrhæ ana drachmam ſemis,
Mellis deſpumati & ad debitam conſiſtentiam cocti, libram unam.

Fiat Lohoch.

*Incidit, attenuat, tuſſim ac reſpirationem ſenum difficilem levat, pectus à frigida, craſſa, tenaci & impacta pituita potenter expurgat.*

## LOHOCH DE PULMONE VULPIS.

℞. Capillorum Veneris,
Pulmonis Vulpis ſiccati & præparati,
Seminis Aniſi,
Fœniculi,
Succi Liquiritiæ ana unciam unam,
Sacchari clarificati uncias quindecim.

Omnia tenuiſſime trita Saccharo excipiantur, & ad debitam formam redigantur.

*Phthiſicis, tabidis ac ulceratos pulmones habentibus commendatur.*

## LOHOCH SANUM ET EXPERTUM.

℞. Calaminthæ,
Capillorum Veneris,
Cinamomi,
Hyſſopi,
Ireos,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam ſemis.

Macerentur per viginti quatuor horas in

Aquæ fontanæ libris duabus,

poſtea deſtillando abſtrahatur circiter libra una, cum qua ex

Pinearum mundatarum drachmis quinque,
Amygdalarum dulcium drachmis tribus,

fiat Emulſio; in qua diſſolve

Sacchari albi libras duas,

additisque

Pulveris Amyli,
Gummi Arabici,
Liquiritiæ,
Tragacanthi ana drachmis tribus,
Ireos drachmis duabus,

optime miſce, bene agitando, ut albeſcant.

*In affectibus aſthmaticis, tuſſi, raucedine & thoracis inflammatione, nec non dyſenteria commendatur.*

## LUMBRICORUM TERRESTRIUM PRÆPARATIO.

Lumbrici cum Vino toties lavantur, donec omnem impuritatem depoſuerint, deinde ſiccantur & pulveriſantur.

*Aperiunt, diuretici & diaphoretici ſunt, ut & antiſpaſmodici.*

## MAGISTERIUM JALAPPÆ *vid.* RESINA JALAPPÆ.

## MAGNESIA ALBA.

Ex lixivio Nitri à cryſtalliſatione reſiduo, Nitro-mitra dicto, duplici fit ratione, vel per calcinationem, vel per præcipitationem.

Si prior placet, lixivium memoratum in olla capaciori non vitreata ad ſiccitatem inſpiſſa, maſſam remanentem in crucibulum capax immiſſam calcina, igne primum leni, poſtea fortiori, donec non amplius ſpumeſcat, nec ulli vapores rubicundi exhalent. Maſſam perfecte calcinatam ſucceſſive in Aquam te-

pidam injice, ſic ſubſidebit pulvis, quem ulterius edulcora ac ſicca, & habebis pulverem candidum, levem, inodorum & inſipidum.

Sin altera methodus arridet, lixivio dicto ſolutio Cinerum clavellatorum depuratorum & à Sale medio liberatorum, ſucceſſive infundatur, ſic præcipitabitur pulvis albicans, qui, decantato aut filtrato liquore ſupernatante, ſtatim edulcoretur & exſiccetur; vel nonnihil prius adhuc calcinetur.

*Vires obtinet abſorbentes &, acido in primis viis præſente, leniter catharcticas, interdum quoque diaphoreticas. Doſis ad drachmam ſemis, ad drachmas duas; prout nunc pro ſcopo alterandi, nunc pro ſcopo laxandi datur. Exhibetur vel in Juſculo, vel Infuſo Thée, vel Aqua, ſive fontana ſimplici, ſive deſtillata, aut Aqua Minerali, vel etiam in Emulſione Amygdalarum dulcium tenuiore.*

## MANNA LIQUIDA.

℞. Mannæ Calabrinæ uncias duas,
Cremoris Tartari drachmas duas,
Aquæ ſimplicis uncias ſex.

Cremor Tartari coquatur in Aqua, poſtea ſolvatur Manna in eadem & coletur.

*Doſis per ſe ad unciam unam, ad uncias quatuor. Commiſcetur etiam aliis laxantibus atque purgantibus.*

## MASSA AD FORNACEM.

℞. Gummi Benzoës electi,
Storacis Calamitæ ana uncias quatuor,
Ladani unciam unam,
Olei deſtillati Cinamomi guttas decem,
Ligni Rhodii guttas viginti,
Balſami Peruviani quantum ſatis,
Moſchi grana quindecim.

Fiat lege artis maſſa, formenturque inſtar ceræ Hiſpanicæ baculi, fornaci affricandi.

*Uſum nomen indicat.*

## MATER PERLARUM PRÆPARATA.

Præparatur eodem modo ac Lapides Cancrorum.

*Abſorbet. Datur ad drachmam uſque.*

## MEL DESPUMATUM.

℞. Mellis optimi,
Aquæ communis libras duas.

Bulliant ſimul igne lento, trajiciantur per pannum, coquantur ad conſiſtentiam Syrupi.

*Rarius per ſe exhibetur, potius ad alia Mellum genera, ex illo præparanda, & ad incorporanda Electuaria, conficitur.*

## MEL MERCURIALE.

℞. Succi Mercurialis libras tres,
Mellis puri ac optimi libras duas.

Coquantur & deſpumentur ut artis eſt.

*Adhibetur in Clyſteribus abſtergentibus & laxantibus, ab uncia una, ad duas.*

## MEL NENUPHARINUM.

℞. Florum Nymphææ integrorum libras ſex,
Aquæ ſimplicis libras duodecim.

Ferveſiant ad Florum coctionem, fiat colatura ſine expreſſione, in qua diſſolve

Mellis optimi libras ſex.

Trajice per pannum, coque in conſiſtentiam Mellis.

*Refrigerat & anodynum eſt. Adhibetur, ut antecedens in, clyſteribus.*

## MEL ROSATUM.

℞. Roſarum rubrarum ſiccarum libram ſemis,
Aquæ fontanæ bullientis libras quatuor.

Macera per noctem & colaturæ adde

Mellis deſpumati libras tres.

Coquantur ad Mellis conſiſtentiam.

*Vulnerarium cenſetur, adhibetur in faucibus, lingua, palato aliisque partibus vicinis læſis & quovis modo excoriatis. Uſurpatur etiam in Clyſteribus pro abſterſione.*

## MERCURIUS DULCIS.

℞. Mercurii ſublimati corroſivi quantum placet,
Argenti vivi, bene purgati, quantum Mercurius ſublimatus per trituram recipere poteſt, ut in pulverem cineritium ſimul abeant,

qui in cucurbita, vel aliis vaſis vitreis, igne arenæ, per gradus adhibito, ſublimetur &, pulvere rubicundo in fundo, ut & flavo, vitri

vitri collo adhærente, rejecto, ſolum coagulum cryſtallinum retineatur; hæcque ſublimatio ter, abſque ullo alio additamento, repetatur.

*Interius aſſumtum blandum eſt purgans, pituitam tenacem incidens atque expellens, nec non ſalivationem interdum excitans. Obſtructiones reſerat, ſanguinem depurat & in vermibus maxime convenit. Laudatur in ſcabie & lue venerea. Infantibus quoque tuto dari poteſt. Datur ad grana duo, tria, ad ſcrupulum ſemis & ultra. Externe prodeſt in ſcabie & aliis cutis infectionibus.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS ALBUS
*ſeu*
COSMETICUS.

℞. Mercurii uncias quatuor.

Diſſolve in

Aquæ Fortis dupla, vel tripla portione.

Poſtea ſolutione Salis communis ſaturata in album pulverem præcipitata, qui ab omni ſalſedine & acrimonia debite cum Aqua communi eluatur & exſiccetur, leni calore, ne flaveſcat.

*Adhibetur à quibusdam ad ſalivationem excitandam, ad grana quatuor, ad quindecim. Vomitum movet atque ſeceſſum, ſed interne non debet adhiberi. Externe uſurpatur contra lichenes & ad pruritum, in emolliendis tumoribus induratis, in tophis præſertim venereis & in ſcabie. Inſervit quoque uſui coſmetico.*

MERCURIUS PRÆCIPITATUS RUBER.

℞. Mercurii purificati libram ſemis.

Diſſolve in

Aquæ Fortis dupla, vel tripla portione.

Abſtrahe Aquam ex retorta in arena ad ſiccitatem, igne forti ad extremum adminiſtrato. In fundo hærebit pulvis ruber, qui, diuturniore adhibita calcinatione in crucibulo vel retorta, egregie ſplendet.

*Sunt qui eo utuntur interne ad ſalivationem excitandam, exhibendo ad grana quatuor, ſex &c. ſecurior tamen ejus uſus eſt externus. Habet vim cathæreticam, auferendi excreſcentias carnoſas, quas blande & ſine inſigni dolore corrodit; unde fiſtulis, puſtulis, caruncolis & aliis cutis defœdationibus conducit. Si quis illum interne exhibere velit, Spiritum Vini*

*alcoholiſatum aliquoties deſuper abſtrahat, quo mitior evadat: hoc modo autem præparatum Mercurium Præcipitatum rubrum ob colorem vocant* Arcanum Corallinum.

## MERCURIUS SUBLIMATUS CORROSIVUS.

℞. Mercurii vivi libras duas.

Solve in
Aquæ Fortis ſufficiente quantitate.

Solutionem ad ſiccitatem evapora. Maſſæ huic, in mortario lapideo, mediante tritura, exactiſſime miſce
Salis marini decrepitati,
Vitrioli, ad flavedinem calcinati, ana libras tres.

Mixtura hac imple cucurbitæ vitreæ tertiam partem, impone arenæ, ut cucurbita fundum cupellæ fere attingat. Orificium vaſis ſublimatorii apertum relinquitur, uſque dum omnis humiditas exhalaverit, tum obturatur charta convoluta. Ignem primo adhibe lenem, quem per gradus auge, donec omnis Mercurius ſublimatus ſit, quod circiter poſt ſex vel ſeptem horas continget, refrigeratum ſublimatorium frange & Mercurium ſublimatum exemtum ſerva.

*Deleterium hoc venenum interne non aſſumi debet. Externe à quibusdam exhibetur ad ulcera venerea, ſordida, cruſtoſa &c. Ingreditur ſic dictam* Aquam Phagædenicam; *inprimis autem inſervit ad parandum* Mercurium Dulcem.

## MILLEPEDUM PRÆPARATIO.

℞. Millepedum ſive Aſellorum mundorum quantum volueris.

Moderato calore exſiccentur & pulveriſentur.

*Reſolvunt, aperiunt & abſtergunt. Dantur ad ſcrupulum unum, ad drachmam uſque.*

## MITHRIDATIUM DAMOCRATIS.

℞. Agarici,
Cinamomi,
Croci,
Myrrhæ Troglodyticæ,
Spicæ Nardi,
Thlaſpios,
Thuris,
Zingiberis ana drachmas decem,
Caſtorei,
Coſti veri aromatici, aut Zedoariæ,
Folii,

Galbani,
Opobalſami, vel Olei Nucis Moſchatæ,
Opopanacis,
Piperis longi,
Schœnanthi,
Seſeleos,
Stœchadis,
Styracis rubri,
Succi Hypociſtidis,
Terebinthinæ ana unciam unam,
Caryophyllorum,
Macis ana unciam ſemis,
Bdellii,
Carpobalſami,
Caſſiæ ligneæ,
Cubebarum,
Piperis albi,
Polii,
Scordii,
Seminis Dauci Cretici,
Trochiſcorum Cypheos ana drachmas ſeptem,
Cardamomi,
Dictamni Cretici,
Florum Roſarum rubrarum,
Gentianæ,
Gummi Arabici,
Nardi Celticæ,
Opii,
Seminis Fœniculi,
Petroſelini ana drachmas quinque,
Aniſi,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Calami aromatici,
Phu,
Sagapeni ana drachmas ſex,
Carnis Scinci veri,
Mei,
Succi Acaciæ,
Summitatum Hyperici ana drachmas duas ſemis,
Vini quantum ſatis eſt,
Mellis deſpumati triplum, id eſt, libras novem, uncias octo, drachmas duas.

*Modus confectionis hic eſſe ſolet, ut ingredientia, ad compoſitionem hujus tam famoſi Medicaminis in ſex Claſſes diviſa, in tenuem pulverem redigantur. Claſſium vero ſeries hæc eſt:*

## I. *CLASSIS.*

℞. Seminis Aniſi drachmas tres,
Zingiberis drachmas decem,
Caryophyllorum,
Macis ana unciam ſemis,
Gentianæ drachmas quinque.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas duas.*

## II. *CLASSIS.*

℞. Scordii Cretici drachmas ſeptem,
Nardi Celticæ,
Seminis Petroſelini Macedonici ana drachmas quinque,

Piperis longi unciam unam.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmam unam.*

III. *CLASSIS.*

℞. Polii montani drachmas ſeptem,
Seminis Fœniculi drachmas quinque,
Phu Pontici drachmas tres.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum unciam unam, drachmas ſeptem.*

IV. *CLASSIS.*

℞. Cinamomi drachmas decem,
Seſeleos,
Zedoariæ ana unciam unam,
Roſarum drachmas quinque.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas ſeptem.*

V. *CLASSIS.*

℞. Dictamni Cretici drachmas quinque,
Caſſiæ ligneæ,
Cubebarum,
Piperis albi ana drachmas ſeptem,
Seminis Thlaſpios drachmas decem.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias quatuor ſemis.*

VI. *CLASSIS.*

℞. Seminis Dauci drachmas ſeptem,
Cardamomi drachmas quinque,
Ariſtolochiæ rotundæ,
Calami aromatici ana drachmas tres,
Angelicæ,
Hyperici ana drachmas duas ſemis.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias duas, drachmas ſeptem.*

*Sequentia porro per ſe terantur, nempe:*

Agarici,
Croci,
Myrrhæ,
Thuris ana drachmæ decem,
Caſtorei uncia una,
Bdellii drachmæ ſeptem,
Carnis Scinci marini, in minutiſſimas partes inciſæ, drachmæ duæ ſemis.

*Inſuper:*

Schœnanthi,
Spicæ Indicæ ana drachmæ decem,
Stœchadis uncia una,

minutim

minutim inciſa, mucilagine Tragacanthi imbuta & denuo exſiccata, in pulverem redigantur.

Trochiſcorum Cypheos, utpote cæteroquin apud nos minus jam uſualium, ingredientia, itidem in pulverem contuſa, ſufficientem eorum recipiendo doſin, inſuper addantur; pulpa vero ex Uvis paſſis educta, & Vino Cretico diluta, in ipſa Mithridatii miſtione infundatur.

*Hoc peracto, Gummi & Succi Vino Cretico ſolvantur, ac eo plane modo, qui in Theriaca præſcribitur, cum Terebinthina, Melle & pulveribus ſex Claſſium uniantur, adjiciendo ſub finem Crocum, Vino Cretico dilutum, itemque Styracem, Oleo Nucis Moſchatæ & eodem Vino liquatum; quo ſic, ſedula ſtrenuaque agitatione, compoſitio hæc ſuam perfectionem adquirat: quæ identidem in vaſe mundo & ſatis amplo, ut fermentare queat, reponenda, atque, uti Theriaca, ſæpius commovenda, donec in annum adoleverit.*

*Adjicimus hic Schematiſmum Mithridatii, in duplicata quantitate, uſque ad duodecuplam parandi, qui ſic ſeſe habet:*

| MITHRIDATIUM DAMOCRATIS. | | *In ſimplo.* | *In duplo.* | *In quadruplo.* | *In ſextuplo.* | *In octuplo.* | *In decuplo.* | *In duodecuplo.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ℞. Agarici, | | | | | | | | |
| Cinamomi, | | | | | | | | |
| Croci, | | | | | | | | |
| Myrrhæ Arabicæ, | | | | | | | | |
| Spicæ Nardi, | | | | | | | | |
| Thlaſpios, | | | | | | | | |
| Thuris, | | | | | | | | |
| Zingiberis, - - | ana | ʒ. x. | ℥. II. S. | ℥. v. | ℥. VII. S. | ℥. x. | ℥. XII. S. | ℥. XV. |
| Caſtorei, | | | | | | | | |
| Coſti, | | | | | | | | |
| Folii, | | | | | | | | |
| Galbani, | | | | | | | | |
| Opobalſami, vel Olei Nucis Moſchatæ, | | | | | | | | |
| Opopanacis, | | | | | | | | |

| | | In ſimplo. | In duplo. | In quadruplo. | In ſextuplo. | In octuplo. | In decuplo. | In duodecuplo. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Piperis longi,<br>Schœnanthi,<br>Seſeleos,<br>Stœchadis Arabicæ,<br>Styracis,<br>Succi Hypociſtidis,<br>Terebinthinæ, - - | ana | ℥. I. | ℥. II. | ℥.IV. | ℥. VI. | ℥.VIII. | ℥. X. | ℥.XII. |
| Caryophyllorum,<br>Macis, - - - | ana | ℥. S. | ℥. I. | ℥. II. | ℥. III. | ℥.IV. | ℥. V. | ℥. VI. |
| Bdellii,<br>Carpobalſami,<br>Caſſiæ ligneæ,<br>Cubebarum,<br>Cypheos Trochiſcorum,<br>Piperis albi,<br>*Polii montani*,<br>Scordii Cretici,<br>Seminis Dauci Cretici, - - | ana | ʒ. VII. | ʒ.XIV. | ℥.III. S. | ℥. V.<br>ʒ. II. | ℥. VII. | ℥. VIII.<br>ʒ. VI. | ℥.X. S. |
| Cardamomi,<br>Dictamni Cretici,<br>Florum Roſarum,<br>Gentianæ,<br>Gummi,<br>Nardi Celticæ mundatæ,<br>Opii,<br>Seminis Fœniculi,<br>Petroſelini, - - | ana | ʒ. V. | ʒ. X. | ℥.II.S. | ℥. III.<br>ʒ. VI. | ℥. V. | ℥. VI.<br>ʒ. II. | ℥.VII.S. |
| Aniſi, | | | | | | | | |

| | | *In ſimplo.* | *In duplo.* | *In quadruplo.* | *In ſextuplo.* | *In octuplo.* | *In decuplo.* | *In duodecuplo.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Ariſtolochiæ rotundæ,<br>Calami aromatici,<br>Phu,<br>Sagapeni, - -<br>Carnium Scinci, | ana | ʒ. III. | ʒ. VI. | ℥. I. S. | ℥. II.<br>ʒ. II. | ℥. III. | ℥. III.<br>ʒ. VI. | ℥. VI. S. |
| Mei vel Angelicæ,<br>Succi Acaciæ,<br>Summitatum Hyperici, - - | ana | ʒ. II. S. | ʒ. V. | ʒ. X. | ʒ. XV. | ℥. II. S. | ℥ III. ʒ. I. | ℥ III. ʒ VI |
| Vini quantum ſatis,<br>Mellis deſpumati triplum. | | ℔. 9.<br>℥. 8.<br>ʒ. 2. | ℔. 19.<br>℥. 4.<br>ʒ. 4. | ℔. 38.<br>℥. 9. | ℔. 58.<br>℥. 1.<br>ʒ. 4. | ℔. 77.<br>℥. 6. | ℔. 96.<br>℥. 10.<br>ʒ. 4. | ℔. 116.<br>℥. 3. |

Miſce.

*Nomen obtinet à* MITHRIDATE, *Ponti Rege, qui, teſte* GALENO, *ita ſe hac Antidoto præmunivit, ut, ſe ipſum veneno aſſumto interimere tentans, ſpe ſua fruſtratus fuerit. Juxta veteres vix non pro Panacea habebatur, & tanquam nobile alexipharmacum atque anodynum uſurpabatur. Datur à drachma ſemis, ad drachmam; mulierculæ infantibus piſi magnitudine exhibent in colica, vomitu & fluxu alvi. Externe in forma Emplaſtri imponitur umbilico & ventriculo.*

## MIXTURA SIMPLEX CUM CAMPHORA,

*vid.*

## SPIRITUS DE TRIBUS CUM CAMPHORA.

## MIXTURA SIMPLEX SINE CAMPHORA,

*vid.*

## SPIRITUS DE TRIBUS SINE CAMPHORA.

## MORSULI IMPERATORIS.

℞. Amygdalarum dulcium,
Pinearum mundatarum,
Piſtaciorum decorticatorum ana unciam ſemis,
Specierum Imperatoris, parum inciſarum & contuſarum, drachmas quinque,
Cinamomi, inciſi & contuſi, drachmam unam,

Conſervæ Roſarum Damaſcenarum unciam ſemiſſ,
Sacchari, in Aqua Roſarum diſſoluti, uncias octo.

Fiant Morſuli.

*Stomacho præſertim ſunt dicati & ab iis, qui acidulas bibunt, frequenter uſurpantur. Doſis ab uncia ſemis, ad unciam unam.*

## NITRUM ANTIMONIATUM,
*vid.*
## ANTIMONIUM DIAPHORETICUM.

## NITRUM FIXUM.

℞. Nitri quantum placet.

Repleatur eo crucibulum, ut dimidia pars vacua remaneat, ne inter ebulliendum oras crucibuli Nitrum transgrediatur, collocetur crucibulum inter carbones & Nitro optime fluenti injiciatur cochleare Carbonum pulveriſatorum, qui maximum cum Nitro ſtrepitum atque flammam excitabunt; quibus finitis, de novo pulvis Carbonum injiciatur injectioque tamdiu continuetur, donec nulla amplius flamma, nullus amplius ſtrepitus obſervetur: tunc continuanda adhuc pauliſper calcinatio & poſtea Nitrum, ſub maſſa viridiſcente, eximendum, ſolvendum atque filtrandum liquorque filtratus ad ſiccitatem evaporandus; & remanebit Sal Alcali fixum, *Nitrum Fixum* dictum, quod, in loco frigido, facile deliqueſcit in liquorem, à Glaubero, tanquam celeberrimum menſtruum alcalinum, *Alcaheſt* vocatum.

*A Sale Tartari ratione virtutum & uſus non multum diſcrepat.*

## NITRUM TABULATUM,
*vid.*
## SAL PRUNELLÆ.

## OLEUM ABSINTHII.

℞. Olei Olivarum libras tres,
Comarum Abſinthii, vulgaris, recentis, contuſarum libram unam.

Macerentur per triduum, in loco calido, deinde coquantur, uſque dum Oleum, prunis injectum, non amplius ſtrepat, quod colatum ſervetur.

*Ventriculum roborat, flatus diſſipat & vermes necat.*

## OLEUM AMYGDALARUM AMARARUM.

℞. Amygdalarum amararum, ſiccarum, non tamen rancidarum, quantum vis.

Contun-

Contundantur minutiſſime, poſtea, ſecundum artem, prælo exprimantur.

*Interne rarius, aut nunquam, uſurpatur: externe diſcutit, in tinnitu aurium aliquot guttulæ auribus inſtillantur. Cutis aſperitates tollit. In urinæ difficultate pubi inungitur.*

## OLEUM AMYGDALARUM DULCIUM.

Fit ut Oleum Amygdalarum amararum.

*Interne recens expreſſum & non rancidum adhibendum. Emollit, laxat, anodynum eſt. Commendatur ad dolores pleuriticos, nephriticos colicosque mitigandos, ad alvum laxandam urinamque pellendam, acrimoniam demulcendam. Conducit etiam in raucedine, tuſſi aliisque pectoris affectibus, ut & dyſenteria. Partum facilitat & ad dolores poſt partum prodeſt; infantibus quoque recens natis propinatur. Datur ad unciam ſemis, uncias duas, uncias tres &c. Clyſteribus quoque admiſcetur, ad colicam & fæces induratas. Inungitur in dolore nephritico & faucium.*

## OLEUM ANETHI.

Fit ex floribus & foliis Anethi ac Oleo claro, eodem modo, quo Oleum Abſinthii.

*Huic Oleo vires diſcutientes, carminativæ, paregoricæ & anodynæ adſcribuntur.*

## OLEUM AVELLANARUM.

Exprimitur ut Oleum Amygdalarum amararum.

*Laudatur ad dolores ſopiendos, imprimis articulorum; cutim exaſperatam lævigat, capillos adauget. Commendatur etiam interne ad acres defluxiones. Datur ad drachmas duas, unciam unam &c.*

## OLEUM CAPPARUM.

℞. Corticis Radicis Capparum unciam unam,
Tamariſci,
Ceterach,
Cyperi,
Florum Tamariſci,
Seminis Agni caſti ana drachmas duas,
Rutæ drachmam unam.

Trita &, cum

Vini libra ſemis,

infuſa, poſt biduum, cum

Olei Olivarum libra una,

coquantur ad humiditatis aqueæ

conſumtionem, colentur & exprimantur.

*In obſtructionibus & tumoribus hepatis & lienis potiſſimum commendatur.*

## OLEUM CASTOREI.

℞. Caſtorei pinguis & mollis, à pelliculis mundati, unciam unam,
Olei Olivarum veteris libram unam,
Vini generoſi albi uncias tres.

Bulliant ad conſumtionem Vini, deinde reponantur ad uſum.

*In convulſionibus & affectibus paralyticis, ut & uterinis deprædicatur.*

## OLEUM CHÆREFOLII.

Fit ut Oleum Abſinthii.

*Reſolvit, diſcutit imprimis lac, flatus pellit & urinam promovet.*

## OLEUM CHAMOMILLÆ.

Fit ex Floribus Chamomillæ recentibus & Oleo claro, ut Oleum Abſinthii.

*Emollit, laxat, diſcutit & dolores mitigat.*

## OLEUM HYOSCYAMI SEMINIS.

Semina Hyoſcyami contunduntur, torrentur & exprimuntur.

*Eſt anodynum, ſomnum conciliat: ad odontalgiam, dolores ſcorbuticos, cephalalgiam ſcorbuticam laudatur; ſed caute cum illo mercandum.*

## OLEUM HYPERICI.

℞. Florum Hyperici, ad maturitatem ſeminis fere accedentium, contuſorum,
Olei Olivarum clari ana libras tres,
Croci ſcrupulos quatuor.

Poſt factam trium dierum macerationem, bulliant ad humiditatis aquoſæ conſumtionem, poſtea exprimantur & expreſſum commiſceatur cum

Terebinthinæ claræ libra una.

*Egregium eſt vulnerarium & anodynum, in doloribus articulorum, in affectibus nervorum & contuſionibus luxationibusque; in colica & verminatione infantum conducens.*

## OLEUM LACERTARUM.

℞. Olei Nucum Juglandium, recenter expreſſi, libras tres.

His immergantur
Lacertarum viridium numero viginti quinque,

& in eo ſuffocari & emori permittantur; poſtea inſolentur per tempus & colatura ſervetur.

*Reſolvit, hinc ſtrumis & ſcrophulis applicatur; herniis quoque conducit & capillos auget.*

## OLEUM LAURINUM.

℞. Baccarum Lauri recentium, electarum, maturarum & contritarum, quantum vis.

Coquantur in Aqua, colentur & exprimantur; cui expreſſo, poſtquam refrigeratum fuerit, Oleum ſupernatat.

*Diſcutiens & carminativum eſt. Convenit in affectibus uteri frigidis, in flatibus, ſpaſmo flatulento gravidarum, in colica, paralyſi. Roborat nervos, reſolvit tumores. In ſcabie ſæpiſſime uſurpatur.*

## OLEUM LILIORUM ALBORUM.

℞ Florum Liliorum alborum, abjecto quod croceum eſt,
Olei Olivarum ana libras tres.

Macera & inſola per dies octo; poſtea coque & exprime.

*Anodynum eſt, emolliens, laxans, abſceſſus & inflammationes maturans & ſuppurans. Convenit in affectibus renum & veſicæ, ortis ex acrimonia urinæ, in iſchuria regioni pubis inungitur, in Unguentis anodynis adhibetur. Obſtetrices manus hoc Oleo inungunt, inunctasque in ſinum muliebrem immittunt, ut emolliatur & lubricetur. Adhibetur etiam in Clyſteribus, pro emollienda alvo & laxando utero; genitalia quoque, circa pubem, per aliquot dies ante partum, Oleo hoc quædam mulierculæ illinire ſolent.*

## OLEUM LINI.

Lini ſemina, contuſa & parum aſſata, exprimantur.

*Relaxat, expectorationem promovet, contra pleuritidem ſpecificum dicitur: debet autem eſſe recens non rancidum. Conducit etiam in aliis affectibus pectoris, tuſſi, aſthmate &c. Sputum promovet & dolores mitigat. Propinatur ad uncias duas, vel tres, cum vehiculo. Externe anodynum*



BIBLIOTHÈQUE … PARIS

*eſt, convulſionem articulorum curat, muſculorum, nervorum cervicis duritiem mitigat, ad ani affectus & dolores hæmorrhoidum adhibetur. Prodeſt quoque ad pterygium & ambuſta.*

## OLEUM LUMBRICORUM TERRESTRIUM.

℞. Lumbricorum terreſtrium libram ſemis.

Laventur in Vino, deinde immittantur in

Olei Roſati libras duas.

Coquantur ad humidi aquoſi conſumtionem, colentur.

*Interne laudatur ut ſingulare vulnerarium, externe ut anodynum in ſpaſmis & contracturis ſcorbuticis, in nervorum vulneribus & puncturis.*

## OLEUM MASTICHINUM.

℞. Olei Roſati libram unam.

In eo diſſolve, leniter coquendo,

Maſtichis uncias tres.

Fiat colatura.

*Sedat vomitum & fluxus alvi; partes relaxatas roborat.*

## OLEUM MENTHÆ.

Fit ex Mentha domeſtica criſpa cum Oleo, ut Oleum Abſinthii.

*Stomachicum eſt & uterinum.*

## OLEUM MUCAGINUM.

℞. Radicis Althææ, recentis & in taleolos ſectæ, libram unam,
Seminis Fœnugræci,
Lini ana libram ſemis,
Aquæ calentis libras decem.

Macerentur ſupra cineres calidos, per viginti quatuor horas, identidem agitando: deinde liquor mucilaginoſus coletur & fortiter exprimatur. Expreſſo adde

Olei Olivarum libras duas.

Coquantur blando igne ad humidi fere conſumtionem, cavendo ne comburatur mucilago. Oleum colatum uſui ſervetur.

*Emollit & maturat.*

## OLEUM MYRRHÆ PER DELIQUIUM.

Decoquantur Ova Gallinarum ad duritiem, deinde, dum adhuc calent, ſecentur, ſecundum longitudinem, in duas partes æquales &, exemtis vitellis, repleantur pulvere Myrrhæ, deinde ſibi invicem committantur rurſus dicta albumina diviſa filoque

loque circumducta, ſuſpendantur, aut baculis aliquot, in patina terrea, vel vitrea, diſpoſitis, imponantur & in locum humidum frigidumque reponantur: ſic Myrrha, in liquorem reſoluta, extillabit.

*Oleum hoc eximium cenſetur in infectionibus omnibus cutaneis: maculas delet, in ſpecie à ſole productas, ſcabiem, herpetem & ulcera ſanat; conducit egregie in fiſſuris mamillarum & ulceribus.*

## OLEUM NUCIS MOSCHATÆ EXPRESSUM.

Nuces Moſchatæ radula attritæ, aut diligenter contuſæ, Aquæ calidæ vapore irrigantur, poſtmodum, dum adhuc calent, Oleum ex iis exprimitur.

*Adhibetur hoc Oleum interne & externe; interne pro fluxu alvi compeſcendo infantibus porrigitur cum pulte; externe pro roborando ventriculo & inteſtinis prodeſt. Conſtituit corpus pro Balſamis, odore & colore cum Spiritu Vini privatum.*

## OLEUM NUCUM JUGLANDIUM.

Conficitur ut Oleum Amygdalarum amararum.

*Diſcutit, flatus pellit & doloribus colicis medetur, ad varia quoque vitia cutanea adhibetur.*

## OLEUM NUCLEORUM PERSICORUM.

Præparatur ut Oleum Amygdalarum amararum.

*In affectibus aurium, dolore, tinnitu, ſurditate & vermibus laudatur; temporibus illitum in agrypnia & cephalalgia laudatur; ſedat quoque hæmorrhoidum dolores.*

## OLEUM OVORUM.

℞. Ovorum recentium numero centum.

Coquito donec penitus indurentur, poſtea vitellos eorundem eximito & comminutos aſſato in ſartagine donec rufeſcant & pinguedinem quandam emittant; deinde adhuc ferventes & forti ſacculo incluſos exprimito.

*Vulnerarium eſt. Valet ad ambuſta, ad hernias, ad implendas foveas poſt variolas, ad fiſſuras labiorum, papillarum, manuum, pedum, ani, ad dolores hæmorrhoidum & alios. Inſigne quoque eſt coſmeticum.*

## OLEUM PAPAVERIS ALBI.

Præparatur ut Oleum Seminis Hyoſcyami.

*Ceu anodynum ad ſomnum conciliandum, & capitis dolores tollendos temporibus inungitur.*

## OLEUM ROSARUM.

℞. Olei Olivarum libras tres,
Roſarum Damaſcenarum, non penitus apertarum, contuſarum, libram unam ſemis.

Macera & inſola per dies octo, poſtea coque ad humiditatis conſumtionem, cola & exprime.

*Emollit, mitigat, repellit & refrigerat, ſomnum inducit, alvum laxat & ambuſtis medetur.*

## OLEUM RUTÆ.

Paratur ex Ruta & Oleo vulgari, eodem modo, quo Oleum Abſinthii.

*Inter Linimenta carminativa, anticolica & anthelmintica primatum fere obtinet: calefacit, diſcutit; cum Clyſteribus injectum dolorem colicum ſedat; nervorum & ſpinæ reſolutioni convulſionibusque medetur.*

## OLEUM SAMBUCI.

Fit ex Floribus Sambuci & Oleo, ut Oleum Abſinthii.

*Lenit, abſtergit, mundificat & anodynum eſt.*

## OLEUM SCORPIONUM.

℞. Scorpionum numero quinquaginta,
Olei Olivarum puri libras duas.

Macerentur in vaſe vitreo ſtricti orificii, per triginta dies, in loco calido; poſtea Oleum colatum ad uſus reponatur.

*Quidam illud commendant interne, ad urinam pellendam & calculum promovendum. Externe pro eodem ſcopo regioni renum, pubis & veſicæ illinitur. Habetur quoque alexipharmacum & pulſibus regionique cordis inungitur.*

## OLEUM SOLANI E BACCIS.

℞. Baccarum Solani, maturarum, contuſarum, libram unam,
Olei communis libras tres.

Coque ad conſumtionem ſucci, exprime & uſui ſerva.

*Refrigerat, incraſſat & ſomnum conciliat.*

## OLEUM SPERMATIS RANARUM.

℞. Olei communis libras tres,

Spermatis Ranarum libras duas.

Coquantur ſimul lento igne ad conſumtionem partis aquoſæ, deinde colentur & Oleum ſervetur.

*Anodynum eſt & demulcens, medetur ambuſtis.*

## OLEUM TARTARI
### PER DELIQUIUM.

Eſt Sal Tartari fixum in aëre, absque additione Aquæ, liquatum.

## OLEUM VERBASCI.

Fit ex Verbaſci Floribus, ut Oleum ex Floribus Liliorum alborum.

*Emollit & dolores mitigat, conducit in doloribus hæmorrhoidum.*

## OLEUM VERBASCI
### PER INSOLATIONEM
*ſive*
## LIQUAMEN FLORUM VERBASCI.

℞. Florum Verbaſci contuſorum quantum placet.

Indantur vitro claudendo & ſoli exponendo, intra duorum menſium ſpatium liquorem habebis.

*Hoc remedium eſt egregie demulcens & anodynum, in doloribus quibusvis arthriticis, dentium & hæmorrhoidum &c. Vi quoque vulneraria gaudet.*

## OLEUM ABSINTHII
### DESTILLATUM.

℞. Summitatum Abſinthii, ad maturitatem ſeminis accedentium, quantum vis.

Incidantur & infundantur per tempus atque cum Aqua fontana deſtillentur per veſicam: exibit Aqua cum Oleo; ſeparetur Oleum per bombacem, vel vitrum, quod ſeparatorium dicitur.

*In affectibus ventriculi convenit interne & externe; in vermibus enecandis, in febribus pellendis & Unguentis ſtomachicis prodeſt.*

## OLEUM ANETHI
### DESTILLATUM.

℞. Seminis Anethi quantum vis.

Cum ſufficiente quantitate Aquæ ſimplicis infundatur, deſtilletur per veſicam & Oleum poſtea ab Aqua ſeparetur.

*Convenit in colica ſedanda & flatibus diſcutiendis, cardialgia.*

*Conducit quoque ad pertinacem ſingultum curandum, ad aliquot guttas aſſumtum. Externe commendatur in cephalalgia, & pro ſomno conciliando.*

## OLEUM ANIMALE DIPPELII.

Hoc Author olim, & poſt ipſum multi alii, ex Sanguine Cervino exſiccato, laborioſa & tædioſa admodum operatione, viceſies nempe, imo pluries adhuc, Oleum Sanguinis Cervini, ex retorta, ſemper nova ac munda, rectificando, donec nihil amplius fœcum nigrarum, aduſtarum, in fundo retortæ remanſerit, atque Oleum inſtar Spiritus tenue evaſerit, elaborarunt.

Hodie compendioſius & facilius, paucioribus rectificationibus, ex Oleo Empyrevmatico Sanguinis Bovini exſiccati, vel Cornu Cervi, vel alio quocunque animali, præparatur, hunc in modum:

℞. Olei Cornu Cervi fœtidi, aut alterius animalis, quantum placuerit.

Hoc cum Cornu Cervi uſto, vel aliis oſſibus calcinatis, vel etiam cum Calce viva, mixtum, in retortam vitream immitte, igne arenæ deſtilla & Oleum elicitum, cum Aqua mixtum, denuo aliquoties, ex cucurbita vitrea humiliori, rectifica; ſic obtinebis Oleum limpidum, fragrans, gratum, aromaticum, in pluribus vaſis minoribus, drachmam circiter continentibus, ſervandum, ne priſtinum rurſus colorem ac odorem ingratum repetat; qui tamen, nova rectificatione ſolitaria, facile rurſus, ante uſum, aufertur.

*Oleum hoc præſtantiſſimum eſt reſolvens & anodynum, nervis amiciſſimum, blandum ſudorem placidumque ſomnum, per viginti quandoque horas, ſine torpore aut debilitate corporis, ſed potius hujus alacritate, cum mentis hilaritate, ſuccedente, concilians. Ceu ſpecificum in febribus intermittentibus, ſex horis ante paroxyſmum, nec non in epilepſia ac motibus convulſivis, ante conſuetum invaſionis tempus, præmiſſis ubivis præmittendis, celebratur. Doſis à guttis quinque, ad decem, quindecim, viginti & ultra.*

## OLEUM ANISI DESTILLATUM.

Fit ut Oleum Anethi.

*Oleum hoc æthereum, aromaticum, odorem & ſaporem Aniſi referens,*

*referens, attenuat, diſcutit, reſolvit, conducit in affectibus ventriculi & inteſtinorum, à cauſa, ut loquuntur, frigida ortis, in pectoris morbis à pituita craſſa viſcida natis, item in flatibus diſcutiendis. Aſſumitur interne ad guttas duas, quatuor &c. vel in vehiculo, vel cum Saccharo, vel etiam exinde fit Elæoſaccharum. Exterius, aliis appropriatis mixtum, abdomini & ventriculo inungitur, ut & renibus atque pubi pro urina pellenda.*

## OLEUM BACCARUM JUNIPERI DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Anethi.

*Colicis & nephriticis utile eſt, urinam pellit & partes urinarias abſtergit; ventriculum porro roborat & flatus diſcutit; ingreditur quoque Unguenta nervina & antiparalytica.*

## OLEUM BACCARUM LAURI DESTILLATUM.

Fit ut Oleum Anethi.

*Diſcutit, flatus pellit, contra colicam & paſſionem hyſtericam prodeſt, ſpaſmo flatulento medetur, convenit in paralyſi, in doloribus poſt partum pubi & pectini muliebri illitum; conducit quoque ad menſium ſuppreſſionem: dolores aurium ſiſtit & maculas cutis delet.*

## OLEUM CARVI DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Anethi.

*Conducit in ſtomachi & inteſtinorum affectibus, colicæ medetur, flatus pellit, urinam quoque promovet eamque ſuavis odoris reddit. Exhibetur interne ad aliquot guttas, in vehiculo appropriato, aut cum Saccharo; externe miſcetur Oleis & Linimentis.*

## OLEUM CARYOPHYLLORUM DESTILLATUM.

℞. Caryophyllorum aromaticorum ſufficientem quantitatem.

In pulverem craſſiuſculum contuſis affundatur Aqua tepida &, poſt quatriduanam digeſtionem, ex veſica deſtilletur ſeparetu rque Oleum ab Aqua modo ſolito.

*Oleum Caryophyllorum denti cavo inditum odontalgiam ſedat; contra rigores febrium ante paroxyſmum aliquot guttæ hujus Olei ſumuntur: illinitur quoque regioni ſterni. Stomachicum præterea eſt & ad gangrænam & cariem conducit.*

## OLEUM CERÆ DESTILLATUM.

℞. Ceræ flavæ libram unam.

Huic in retorta capaci liquatæ ſuperinjice largam cineris cribrati quantitatem; poſtea, igne per gradus aucto, ex arena deſtilla. Sic prodibit primo Phlegma, deinde Spiritus & demum ſequetur liquor, qui in recipiente inſtar Butyri coagulatur. Ex Butyro jam cum Calce viva deſtillatur per retortam Oleum clarum.

*Spiritus eſt medicamentum aperitivum, à quibusdam in dolore nephritico laudatum. Exhibetur ad guttas viginti, triginta. Butyrum reſolvit tumores, dolores artuum ſedat, paralyticis conducit, ad perniones & mammarum fiſſuras confert. Vires Olei ſunt anodynæ, vulnerariæ & reſolutivæ, attenuat nempe tumores contumaciores, ex lympha vitioſa ortos, laudatur & contra affectus nephriticos. Interne ingens eſt diureticum, ad urinam & calculum pellendum; Doſis eſt ad guttas duas, tres, quatuor & plures. Caute tamen ob acrimoniam interne adhibendum.*

## OLEUM CHAMOMILLÆ COERULEUM DESTILLATUM.

℞. Flores Chamomillæ vulgaris ſiccos.

Contunde & cum Aqua calida parum maceratos deſtilla per veſicam, ac Oleum cœruleum ab Aqua ſepara.

*Carminativum & antiſpaſmodicum eſt, conducit in cardialgia, colica, præſertim flatulenta, ſuffocatione uterina. Interne guttatim, vel in vehiculo, vel cum Saccharo; externe, aliis remixtum, ſcrobiculo cordis & abdomini illitum; item cum bombace inditum, in aurium doloribus.*

## OLEUM CINAMOMI DESTILLATUM.

Obtinetur deſtillando Cinamomum cum Aqua per veſicam.

*Stomachicum, cephalicum, cardiacum & carminativum exiſtit. Datur ad aliquot guttas: Paratur exinde Elæoſaccharum: Additur quoque purgantibus, tum pro gratia conciliandа, tum pro impediendis flatibus & torminibus: Balſama & Linimenta quoque cardiaca, ſtomachica & carminativa ingreditur.*

OLEUM CORNU CERVI
DESTILLATUM
*vid.*
SPIRITUS CORNU CERVI.

OLEUM CORTICUM AURANTIORUM
DESTILLATUM.

℞. Corticum exteriorum recentium Pomorum Aurantiorum quantum ſatis.

Incidantur &, abſque præcedente maceratione, cum Aqua fontana deſtillentur per veſicam; Oleum poſtea ab Aqua ſeparando.

*Stomachicum & carminativum eſt, vel guttatim, vel in vehiculo aſſumtum, vel in Elæoſaccharum mutatum.*

OLEUM CORTICUM CITRI
DESTILLATUM.

Fit ut antecedens.

*Eaſdem cum priori vires obtinet.*

OLEUM CUMINI
DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Anethi.

*Prodeſt ad tormina & inflationes abdominis, præſertim infantum, adhibetur ad affectus ventriculi, in Balſamis & Oleis ſtomachicis. Odorem ſuum urinæ fortiter communicat.*

OLEUM FOENICULI
DESTILLATUM.

Deſtillatur ut Oleum Anethi.

*Aperit, attenuat, diſcutit, flatus pellit, colicæ medetur, diureſin & diaphoreſin promovet, lac auget, nec virtute ophthalmica deſtituitur. Fit exinde Elæoſaccharum: ingreditur etiam Linimenta & Olea ſtomachica & carminativa.*

OLEUM LAVENDULÆ
DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Chamomillæ.

*Cephalicum eſt, uterinum, diureticum & carminativum.*

OLEUM LIGNI GUAJACI
DESTILLATUM
*vid.*
SPIRITUS LIGNI GUAJACI.

OLEUM LIGNI RHODII
DESTILLATUM.

Lignum Rhodium, in ſcobem redactum, in vaſe capaci, cum magna Aquæ quantitate, addendo pro libra una Ligni, manipulum unum Salis communis, maceretur per quatuordecim dies;

poſtea ex veſica, methodo convenienti, deſtilletur & Oleum ab Aqua ſeparetur.

*Cephalicum eſt & cordiale. Uſurpatur præprimis in odoramentis.*

## OLEUM LIGNI SASSAFRAS DESTILLATUM.

Eodem modo, ut antecedens, paratur.

*Stomachicum eſt & uterinum; valet in catarrhis.*

## OLEUM MACIS DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Caryophyllorum.

*Stomachicum eſt & in vomitu multum valet. Datur ad guttas tres, quatuor &c. Externe miſcetur Linimentis.*

## OLEUM MAJORANÆ DESTILLATUM.

Eo ac Oleum Chamomillæ obtinetur modo.

*Celebratur in affectibus nervinis, præſertim paralyticis, prodeſt etiam in catarrhis & coryza.*

## OLEUM MENTHÆ DESTILLATUM.

Deſtillatione ut Oleum Abſinthii obtinetur.

*Stomachicum eſt ac uterinum.*

## OLEUM NUCISTÆ DESTILLATUM.

Paratur ut Oleum Caryophyllorum.

*Cephalicum eſt, ſtomachicum & uterinum, adhibetur pro ſtomacho roborando & fluxu alvi compeſcendo.*

## OLEUM PHILOSOPHORUM CUM LATERIBUS DESTILLATUM.

Lateres in pulverem contuſi & calefacti miſceantur cum Olei Olivarum clari ſufficiente quantitate, ſive quantum imbibere poſſunt. Poſtea ex retorta, igne aperto & per gradus adhibito, ſecundum artem, deſtillentur Oleumque prolectum ſuper cineres rectificetur.

*Penetrat, reſolvit, attenuat, laudatur in affectibus nervorum atque artuum, ſic dictis frigidis; tinnitu itidem aurium & ſurditate.*

## OLEUM RORIS MARINI DESTILLATUM.

Prolicitur eadem methodo ac Oleum Chamomillæ.

*Interne commendatur in affectibus capitis, apoplexia, paralysi;*

*lyſi; ut & in affectibus uterinis ad aliquot guttas. Externe ingreditur præprimis Balſama cephalica.*

## OLEUM RUTÆ DESTILLATUM.

Fit ut Abſinthii Oleum.

*Convenit doloribus colicis, morbis flatulentis, præſertim ubi epilepſiæ metus. Exinde quoque paratur cum Oleo Nuciſtæ Balſamum, in cephalalgia utile.*

## OLEUM SABINÆ DESTILLATUM.

Obtinetur deſtillando Sabinam cum Aqua ex veſica.

*Fortiter menſes movet fœtumque pellit, interne ſumtum ad aliquot guttas; adeoque perſonis ſuſpectis minime dandum. Externe reſolvit tumores ſcirrhoſos & clavos diſcutit, doloresque dentium ſopit.*

## OLEUM SPICÆ DESTILLATUM.

Fit ut Oleum Lavendulæ.

*Cephalicum eſt, uterinum, diureticum & carminativum; pediculos fugat, tineas libris affrictum arcet.*

## OLEUM SUCCINI CUM SPIRITU ET SALE VOLATILI.

℞. Succini flavi, groſſo modo pulveriſati, libram unam,
Arenæ libras duas.

Miſce, immitte retortæ vitreæ, ita ut tertia pars vacua remaneat; hanc impone arenæ &, applicato vaſe recipiente ac lutatis juncturis, deſtilla. Sic primo Phlegma prodit, poſtmodum Spiritus & tandem, vehementiſſimo igne adhibito, Oleum flavum & rubrum, una cum Sale volatili; quæ ab invicem ſeparari debent. Spiritum hunc, cum Sale volatili, immitte cucurbitæ & humiditatis maximam partem evoca, quem inſequetur Sal volatile concretum, ſub forma ſicca alembico adhærens, quod, ſi non ſatis depuratum ſit, ulterius ſolutione, cryſtalliſatione & tandem inſpiſſatione repurgandum eſt. Oleum deinde cum cineribus adhuc rectificari poterit; ſic prodibit primo *Oleum* limpidum, *Album* dictum, ſeorſim aſſervandum; ſubſequetur alterum coloratius, *Flavum* appellatum. Ex capite mortuo ulteriori igne elicitur adhuc *Oleum Nigricans* fœtidum.

*Sal volatile multi uſus eſt ad affectus cephalicos & nervinos,*

*apoplexiam, lethargum, vertiginem morboſque catarrhales. Doſis ad grana ſex, ſcrupulum ſemis & paulo ultra. Spiritus quoque ad eosdem affectus, ad guttas quatuor, decem &c. uſurpari poteſt: magis tamen externe adhibetur ad aurium affectus, tinnitum, ſuſurrum aliosque. Oleum Succini album & flavum egregium ſunt remedium interne & externe in affectibus nervorum & capitis, paralyſi, apoplexia & ſimilibus. Ictericis proſunt, conveniunt iſchuria & gonorrhœa laborantibus. Doſis eſt ad guttas quatuor, ad ſcrupulum unum. Oleum nigrum admovetur naribus & umbilico in paſſione hyſterica; membra quoque paralytica eo foventur.*

### OLEUM TANACETI DESTILLATUM.

Fit ut Oleum Chamomillæ.

*Commendatur in lumbricis & menſium obſtructionibus, tum interne, ad aliquot guttas; tum externe.*

### OLEUM TARTARI FOETIDUM

*vid.*

SPIRITUS TARTARI.

### OLEUM TEREBINTHINÆ DESTILLATUM

*vid.*

SPIRITUS TEREBINTHINÆ.

### OLEUM THYMI DESTILLATUM.

Fit ut Oleum Chamomillæ.

*Morbis capitis, ſtomachi & uteri eſt dicatum.*

### OLEUM VITRIOLI.

*vid.*

SPIRITUS VITRIOLI.

### OXYMEL SCILLITICUM.

℞. Mellis deſpumati libras tres,
Aceti Scillitici libras duas.

Coquantur lento igne ad perfectam conſiſtentiam.

*Conducit in affectibus pectoris pituitoſis, aſthmate & obſtructionibus bronchiorum, à materia pituitoſa ortis: mucum enim craſſum reſolvit & expectorationem promovet. Convenit quoque in affectibus & cruditatibus ſtomachi. Datur ad drachmam unam, ad unciam ſemis.*

### PANACEA MERCURIALIS.

Nihil aliud eſt quam Mercurius dulcis ſepties, aut novies adhuc ſublimatus, ultimo autem dulcificatus per affuſum

Spiritum Vini rectificatiſſimum & rurſus inde abſtractum.

*Laudatur in morbis venereis, rhevmatiſmis inveteratis, obſtructionibus, ſcrophulis, ſcabie, ulceribus antiquis & vermibus. Datur ad grana ſex, ad triginta, quadraginta. Sunt qui ea utuntur ad ſalivationem excitandam.*

## PASTA ALTHÆÆ.

℞. Radicis Althææ recentis, in taleolos diſſectæ, uncias quatuor.

Bulliant in

Aquæ fontanæ libris octo,

ad dimidiæ partis conſumtionem; in colatura diſſolvantur

Gummi Arabici albiſſimi & puriſſimi libræ duæ ſemis,
Sacchari albiſſimi totidem.

Colentur & igne lento, ad ſpiſſitudinem Extracti, continuo ſpatula movendo, humor exhalet. Ab igne remota agitentur multum & celeriter, quo albeſcant &, ſubinde inſpergendo,

Albuminum è ſex Ovis recentibus, in ſpumam conquaſſatorum,
Aquæ Naphæ odoratiſſimæ unciam ſemis,

lento calore ſub perpetua agitatione maſſa inſpiſſetur, uſque dum manibus non adhæreat. Formentur Paſtæ oblongæ quadratæ, quæ pulvere Sacchari vel Amyli, ne chartæ adhæreant, conſpergantur.

*In catarrhis, raucedine, tuſſi, aſthmate, ab acrimonia oriundis, lambenda præbetur.*

## PILULÆ DE AMMONIACO QUERCETANI.

℞. Extracti Aloës gummoſi uncias quatuor,
Gummi Ammoniaci puri, in Aceto Scillitico diſſoluti, drachmas ſex,
Myrrhæ electæ unciam ſemis,
Maſtiches,
Specierum Diatrion Santalon ana drachmam unam ſemis,
Croci ſcrupulos duos,
Salis Abſinthii ſcrupulos quatuor.

Cum Syrupo Paralyſeos fiat maſſa Pilularum.

*Commendantur ad incidendam lymphæ viſciditatem, & ad eandem educendam: unde in affectibus hypochondriacis, uteri obſtructionibus, aſthmate atque tuſſi, cachexia febribusque invete-*

*ratis conveniunt. Dantur ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos & ultra. Scrupulus Pilularum continet grana tredecim circiter Extracti Aloëtici, Gummi vero Ammoniaci grana duo & paulo plus.*

PILULÆ BALSAMICÆ BECCHERI.

℞. Gummi Hederæ,
Juniperi ana uncias decem,
Extracti Aloës,
Myrrhæ ana uncias octo,
Abſinthii,
Cardui Benedicti,
Cochleariæ ana uncias ſeptem ſemis,
Fumariæ,
Hellebori nigri ana uncias quinque,
Centaurii minoris,
Rhabarbari ana uncias duas ſemis,
Terebinthinæ coctæ uncias quatuor.

Miſce, fiat lege artis maſſa Pilularis.

Hæc ex præſcripto D.D. BURGHART, qui arcanam hactenus ejus præparationem publici juris fecit, in *Chemiæ*, Germanico idiomate ſcriptæ, *Tomo ſecundo*, ita paratur.

*Modus depurandi Aloën.*

Aloës libræ uni, Aquæ ſimplicis tepidæ tres, vel quatuor libræ affunduntur, leniter digeruntur, interdum agitando, poſt ſubſidentiam liquor decantatur, reſiduo nova Aqua affunditur &, ut modo dictum, proceditur etiam tertia vice, ſumendo tamen duabus ultimis vicibus tertiam tantum Aquæ partem. Liquores decantati placide ad Extracti conſiſtentiam evaporantur, ſicque obtinetur Extractum Aloës gummoſum, uſui ſervandum; quod ſi nimis durum & friabile evadat, uſûs tempore, aliquot Aquæ ferventis cochlearibus ſuperfuſis, emolliri poterit.

*Myrrhæ depuratio.*

Myrrhæ rubræ electæ libra una groſſiuſcule contunditur, liquoris Nitri fixi unciis duabus humectatur, agitando cum ſpatula miſcetur in pultem, quæ per duas ſeptimanas in cellam, vel alium locum humidum collocatur, ut ſic Myrrha penitus recludatur. Poſtea Aqua bulliens affunditur, agitando commiſcetur: poſt ſubſidentiam craſſi, clarum decantatur, reſiduo denuo Aqua

fervens

fervens ſuperfunditur, procedendo ut antea, & laborem repetendo, quamdiu Aqua adhuc notabiliter tingitur. Denique Aquæ tinctæ leniſſime ad conſiſtentiam Extracti inſpiſſantur.

### *Modus depurandi Elleborum nigrum.*

Ellebori nigri radices recentes, non carioſæ, aut à vermibus exeſæ, probe ſiccatæ, groſſo modo pulveriſantur, in Aqua bulliente infunduntur &, vaſe bene operto, per viginti quatuor horas, digeruntur: infuſum, colatum, evaporatur ad dimidias & relinquitur ita per noctem, quo feces ſubſideant, dein defuſus liquor clarus ad Extracti ſpiſſitudinem redigitur.

Hac ratione quoque *Extractum Rhabarbari* conficitur.

### *Modus Extractum Cochleariæ conficiendi.*

Herba Cochleariæ recens conſcinditur, in mortario marmoreo contunditur in pultem, quæ, in vas terreum vitreatum immiſſa, in Aqua fervente infunditur per viginti quatuor horas, tunc exprimitur ad dimidium, leni, imo leniſſimo calore evaporatur &, poſtquam feces craſſiores per noctem ad fundum ſeceſſerunt, clarum decantatur &, ad conſiſtentiam Extracti, evaporatur.

### *Modus conficiendi reliqua Extracta.*

Herbæ Abſinthii, Cardui Benedicti, Centaurii minoris, Fumariæ, ſiccatæ, ſeorſim extrahuntur, modo ſub Extracto Cochleariæ recenſito, ſumendo tantum loco Aquæ Vinum &, extractione facta, Spiritum Vini leni calore abſtrahendo, donec Phlegma prodire incipiat, reponendo tunc in quietem &, poſt ſubſidentiam partium craſſiorum, liquorem decantando atque blando calore, ſub frequenti agitatione, ne aduratur, ad debitam conſiſtentiam inſpiſſando. Infuſa hæc etiam ante inſpiſſationem albumine Ovi clarificari poſſunt.

### *Compoſitio Maſſæ Pilularum.*

Ultimo Terebinthina, in ſartagine ferrea, leni calore, fundatur, ita tamen, ut pauliſper bulliat; cui Extracta, quæ nonniſi Mellis conſiſtentia gaudere, aut ſi forſan nimis dura & arida eſſent, in pulverem redigi debent, ſucceſſive immiſſa, agitatione exacte permiſceantur, & tandem Gummata, ſuper Porphyrite in pollinem ſubtiliſſimum trita & cribrata, cochleatim injiciantur,

agitando continuo, donec non amplius ſartagini adhæreat Maſſa, quæ exemta manibus trita beneque malaxata, chartæ ceratæ includatur.

*Sunt Pilulæ admodum polychreſtæ, alvum leniter laxantes, reſolventes, aperientes, ſanguinem purificantes ſimulque ventriculum æque ac reliqua viſcera roborantes. Unde vix non in omnibus morbis, ab obſtructionibus flatibusque exortis, imprimis vero fluxibus hæmorrhoidum, menſium & lochiorum aliisque in ordinem redigendis multum celebrantur. Dantur ſcopo reſolvendi & aperiendi à ſcrupulo ſemis, ad grana quindecim; ſcopo vero laxandi à ſcrupulo, ad drachmam ſemis & ultra; idque aut pro una, aut pluribus vicibus, per aliquot ſeptimanas; vel per ſe, vel cum aliis appropriatis mixtæ, vel etiam in convenientibus vehiculis, Liquore e. g. Terræ Foliatæ Tartari diſſolutæ.*

## PILULÆ BALSAMICÆ MORTONI.

℞. Millepedum præparatorum drachmas ſex,
Gummi Ammoniaci depurati drachmas tres,
Florum Benzoës ſcrupulos quatuor,
Balſami Peruviani,
Extracti Croci ana ſcrupulum unum.

Miſce, fiat cum

Balſami Sulphuris Aniſati ſufficiente quantitate,

Maſſa.

*In omnibus pectoris affectibus, à pituita craſſa & ſpiſſa, ad expectorationem promovendam & aſthmata ſublevanda porriguntur. Doſis ad ſcrupulum ſemis, ad unum.*

## PILULÆ CEPHALICÆ KÜFFERI.

℞. Maſſæ Pilularum Tartarearum drachmas duas,
de Succino Cratonis drachmam unam,
Cochiarum grana viginti quatuor,
Magiſterii Jalappæ grana quindecim,
Nitri depurati drachmam ſemis.

Miſce, fiat Maſſa.

*Doſis ad ſcrupulum unum,*

*drachmam ſemis, in purgando capite.*

PILULÆ COCHIÆ RHASIS CORRECTÆ.

℞. Specierum Hieræ Picræ drachmas decem,
Trohiſcorum Alhandal drachmas tres, ſcrupulum unum,
Dacrydii drachmas duas ſemis,
Stœchadis,
Turbith ana drachmas quinque,
Syrupi Tunicæ quantum ſatis.

Fiat Maſſa.

*Ad pituitam evacuandam commendantur, præſertim in affectibus capitis & nervorum. Doſis ſcrupulus ſemis, unus, ad drachmam ſemis. Scrupulus continet Dacrydii grana circiter duo; Trohiſcorum Alhandal grana fere tria; Turbith vero grana quatuor.*

PILULÆ FOETIDÆ.

Sunt Pilulæ Matricales SYDENHAMII.

PILULÆ MARTIALES SYDENHAMII.

℞. Limaturæ Chalybis uncias duas,
Extracti Abſinthii quantum ſufficit.

Maſſa aſſervetur pro uſu.

*Commendantur in affectione hyſterica, cachexia, chloroſi & menſium ſuppreſſione. Dantur ad grana duodecim, viginti & ultra, mane & veſperi, ſuperbibendo vehiculum & motum poſt aſſumtionem inſtituendo.*

PILULÆ MATRICALES SYDENHAMII *ſive* FOETIDÆ.

℞. Galbani,
Myrrhæ electæ ana drachmam unam ſemis,
Caſtorei grana quindecim,
Aſæ fœtidæ ſcrupulum ſemis.

Cum
Balſami Peruviani ſufficiente quantitate,

fiant Pilulæ.

*Commendantur in paſſionibus hyſtericis aliisque uteri morbis. Doſis ad grana decem, quindecim & ultra.*

PILULÆ MERCURIALES CUM MERCURIO DULCI.

℞. Extracti Panchymagogi Crollii,

Maſſæ Pilularum de Succino Cratonis,
Mercurii dulcis ana unciam unam,
Reſinæ Jalappæ, Nucleis Pineis tritæ, unciam ſemis.

Fiat cum Eſſentia Succini Maſſa.

*Inſerviunt in morbis imprimis venereis, uſurpari tamen etiam poterunt in obſtructionibus & morbis catarrhalibus ac aliis lymphæ vitiis. Doſis eſt ad grana duodecim, ad ſcrupulum, ad drachmam ſemis.*

## PILULÆ MERCURIALES cum Mercurio Vivo.

℞. Dacrydii Sulphurati,
Mercurii vivi,
Pulveris Jalappæ,
Trochiſcorum Alhandal ana unciam unam,
Terebinthinæ uncias duas.

Miſce, fiat Maſſa.

*Uſurpantur potiſſimum in morbis venereis. Dantur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis. Drachma de ſingulis purgantibus & Mercurio continet grana decem.*

## PILULÆ POLYCHRESTÆ.

℞. Extracti Abſinthii,
Cardui benedicti,
Extracti Cochleariæ,
Ellebori nigri aquoſi,
Fumariæ ana drachmas duas,
Aloës gummoſi,
Myrrhæ electæ,
Terebinthinæ Venetæ ana unciam ſemis,
Gummi Benzoës,
Hederæ,
Juniperi ana drachmas duas.

Miſce, fiat Maſſa.

*Commendantur ad alvum laxandam, obſtructionesque reſerandas ac in affectibus uterinis. Dantur ad grana quindecim, viginti & ultra. Scrupulus continet Extracti Aloës grana circiter tria & Extracti Ellebori circiter granum unum cum dimidio.*

## PILULÆ de STYRACE.

℞. Styracis Calamitæ drachmas duas,
Succi Liquiritiæ drachmam unam ſemis,
Extracti Opii,
Ladani,
Myrrhæ,
Olibani ana drachmam unam,
Extracti Croci, cum Spiritu Vini facti, ſcrupulos quatuor.

Miſcean-

Miſceantur & cum

Syrupi Papaveris albi drachmis duabus,

fiat Maſſa.

*Commendatur in affectibus catarrhalibus & tuſſi ferina ſiſtenda, ut & prægnantibus, cum metu abortus tuſſientibus. Doſis ad grana ſex, octo aut decem. Scrupulus continet Opii circiter grana duo.*

## PILULÆ DE SUCCINO CRATONIS.

℞. Pulveris Maſtiches,
Succini præparati ana drachmas duas,
Aloës Succotrinæ drachmas quinque,
Agarici Trochiſcati drachmam unam ſemis,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ drachmam ſemis.

Cum Syrupo de Betonica formentur Pilulæ.

*A veteribus maxime commendantur in morbis capitis affectibusque catarrhalibus. Dantur ad grana quindecim, triginta & ultra. Scrupulus continet Aloës grana octo; Agarici vero grana duo, cum tertia parte grani.*

## PILULÆ TARTAREÆ.

℞. Gummi Ammoniaci unciam unam ſemis,
Extracti Aloës gummoſi drachmas tres,
Tartari Vitriolati drachmam ſemis,

Cum ſufficiente quantitate Elixirii Proprietatis fiat Maſſa.

*In obſtructionibus viſcerum & affectibus hypochondriacis commendantur. Dantur ad grana quindecim, triginta &c.*

## PILULÆ DE TEREBINTHINA.

℞. Terebinthinæ Venetæ, ad conſiſtentiam cum Aqua coctæ, unciam unam,
Rhabarbari electi drachmam unam,
Maſtiches electæ,
Olibani,
Succini præparati ana drachmam ſemis,
Boli Armenæ drachmam unam.

Cum ſufficiente quantitate Terebinthinæ Venetæ fiat Maſſa.

*Ceu abſtergentes, diureticæ & traumaticæ, ſpecifice in nephritide pituitoſo-ſabuloſa, ulceribus viarum urinariarum, gonorrhœa*

*virulenta & fluore albo laudantur. Doſis à ſcrupulo uno, ad drachmam ſemis.*

## PULPA CASSIÆ.

℞. Fiſtularum Caſſiæ ponderoſarum quantum lubet.

Aperiantur & Pulpa, ſeu medulla cum ſeminibus diligenter eximatur, in

Aquæ calidæ ſufficiente quantitate,

diſſolvatur & per cribrum trajiciatur. Lento igne ad mellis conſiſtentiam redactæ, libræ uni, addatur

Sacchari albi libra ſemis,

& ad juſtam conſiſtentiam coquantur.

*Temperatæ naturæ exiſtit, alvum leniter ſubducit, & acrimoniam ſeri demulcet, urinam ciet; unde in affectibus partium urinariarum & pectoris conducit. Doſis eſt ad drachmas duas, ad unciam unam ſemis.*

## PULPA TAMARINDORUM.

Extrahitur eodem modo, quo Pulpa Caſſiæ.

*Præterquam quod benignam vim laxandi obtineat, ſuavi quoque ſua aciditate acrimoniam humorum mitigat, & in febribus quoque biliofis propterea prodeſt. Datur pro ſcopo laxandi ad unciam ſemis, ad unciam unam ſemis & ultra.*

## PULTICULA DE MANNA.

℞. Mannæ electæ,
Aquæ Roſarum ana uncias quatuor.

Poſt ſolutionem, colationem & refrigerationem, adde

Sacchari Canarienſis pulveriſati uncias quatuor,
Olei Amygdalarum dulcium unciam unam.

Miſceantur exacte.

*Laxat alvum leniter & absque multis torminibus. Adhibetur præſertim in infantibus tenellis, ad drachmas duas, unciam ſemis &c.*

## PULTICULA DE TRAGACANTHA.

℞. Syrupi Papaveris erratici unciam ſemis,
Pulveris Tragacanthæ albæ ſcrupulum unum.

Optime mixtis, adde

Aquæ Menthæ drachmam unam.

*Convenit in doloribus abdominis & inteſtinorum, in infantibus, ut & in tuſſi à materia acri; in affectibus renum & veſicæ. Datur ad cochlear dimidium, ad unum.*

## PULVIS ANTISPASMODICUS HALLENSIUM

*ſeu*

## TEMPERANS STAHLII.

℞. Nitri depurati,
Tartari Vitriolati ana uncias tres,
Cinnabaris factitiæ præparatæ unciam unam ſemis.

Miſce, fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

*Temperat, ſitim ſedat, bilem refrænat & in omnibus animi vehementioribus affectibus commendatur. Doſis ad ſcrupulum unum, ad drachmam ſemis.*

## PULVIS ANTISPASMODICUS OFFICINARUM.

℞. Concharum præparatarum,
Nitri depurati,
Tartari Vitriolati ana drachmas ſex,
Cinnabaris factitiæ drachmas tres.

Miſce, fiat Pulvis.

*Commendatur ad refrigerandum, ſitim ſedandam, bilem refrænandam, motus ſpaſticos & convulſivos ſedandos & præcavendos. Doſis ad ſcrupulum unum, ad drachmam ſemis.*

## PULVIS BEZOARDICUS LUDOVICI.

℞. Cornu Cervi philoſophice præparati unciam unam,
Terræ ſigillatæ,
Unicornu foſſilis ana unciam ſemis.

Miſce, fiat Pulvis.

*Prævalere hunc Pulverem aliis longe pretioſioribus & magis compoſitis vult auctor. Uſus ejus in febribus malignis, exanthematicis & dyſenteria extollitur, à granis aliquot, ad ſcrupulum unum & ultra.*

## PULVIS BEZOARDICUS MINOR WEDELII.

℞. Antimonii diaphoretici,
Cornu Cervi philoſophice præparati,
Lapidum Cancrorum præparatorum ana unciam unam,
Extracti Scorzoneræ montanæ unciam ſemis.

Miſce, fiat Pulvis.

*In febribus malignis, variolis, morbillis & aliis hujus generis morbis adhibetur, ad ſcrupulum ſemis, unum, drachmam ſemis. Pro re nata cum Cinnabarinis, anodynis aliiſque miſceri poteſt.*

## PULVIS CACHECTICUS BOECLERI.
*ſeu*
## CROCUS MARTIS CUM SULPHURE ET NITRO.

℞. Limaturæ Martis vel Chalybis uncias duas,
Nitri,
Sulphuris ana unciam ſemis.

Pulveriſata miſce, calcina per ſex horas, igne forti, tunc pulvis niger eximatur atque refrigeratus, denuo calcinetur, in furno figulino, uſque dum colorem purpureum acquiſiverit, quem Aqua lotum & exſiccatum ſerva.

*Commendatur ad eoſdem uſus ac Pulvis Cachecticus Quercetani: Datur quoque eodem modo & eadem doſi.*

## PULVIS CACHECTICUS LUDOVICI
*vid.*
BEZOARDICUM MARTIALE.

## PULVIS CACHECTICUS QUERCETANI CORRECTUS.

℞. Croci Martis aperitivi unciam unam,
Radicis Ari præparatæ drachmam unam ſemis,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Matris Perlarum præparatæ ana drachmas duas,
Cinamomi,
Cornu Cervi philoſophice præparati,
Succini præparati ana ſcrupulos quatuor,
Sacchari ad pondus omnium.

Miſce, fiat Pulvis.

*Uſus ejus eſt in cachexia quavis, leucophlegmatia; chloroſi ac pallore virginum aliiſque ſeri & viſcerum, ex atonia, vitiis. Datur ad drachmam dimidiam, ad ſcrupulos duos uſque.*

Si completum deſideres, adde

Ambræ Gryſeæ drachmam unam ſemis.

## PULVIS CARTHUSIANORUM
*ſive*
## ALKERMES MINERALE.

℞. Antimonii Hungarici, groſſo modo

modo contuſi, libras quatuor.

Immitte in ollam, menſuras duas, vel tres continentem, & affunde

Liquoris Nitri fixi libram unam,
Aquæ fontanæ libras octo.

Fac omnia bullire per duas horas. Poſtea duas tertias partes liquoris adhuc bullientis per chartam bibulam filtra, repleque vas de novo Aqua, admiſcendo prius adhuc

Liquoris Nitri fixi uncias duodecim.

Coque ut antea & filtra, ad remanentiam tertiæ partis, cui tertia quoque vice adde

Aliam Aquam fontanam
&
Liquoris Nitri fixi uncias octo.

Ebulliant adhuc per duas horas, poſtmodum liquor filtretur & cum reliquis reponatur ad quietem, ubi ad fundum ſubſidebit pulvis rubicundus, quem poſt decantationem Aquæ colliges, edulcorabis bene & ſiccabis. Poſtmodum affunde Spiritum Vini rectificatiſſimum & accenſum deſuper deflagrare ſine, hocque bis, aut ter repete, pulverem continuo agitando. Tandem pulverem exſiccatum in vaſe clauſo ſerva.

*Sulphur hoc Auratum Antimonii à D.* Ligerie, *qui illud monachis Carthuſianis, unde & nomen traxit, communicaverat, introductum, vires emeticas, catharticas, reſolventes, aperientes, diaphoreticas & diureticas obtinet: unde in febribus, tam intermittentibus, quam continuis, inflammatoriis, exanthematicis, malignis epidemicis, in apoplexia, affectibus ſoporoſis, pectoris aliisque quam plurimis, frequentiſſime hodie, ceu evacuans æque ac præſtantiſſimum reſolvens, adhibetur. Scopo emetico datur à granis quatuor, ad ſex; cathartico ad grana duo; & reſolvente denique ad granum ſemis, ad granum unum.*

## PULVIS CONTRA CASUM.

℞. Mumiæ,
Sanguinis Draconis,
Terræ Sigillatæ ana drachmas duas,
Rhabarbari,
Spermatis Ceti ana drachmam unam.

Miſce, fiat Pulvis.

*Diſſolvit grumos ſanguinis,*

*hinc lapſis, ruptis, contuſis, fractis exhibetur. Doſis eſt drachma ſemis, ad drachmam unam.*

## PULVIS CORNACCHINI
### Correctus cum Resina Jalappæ.

℞. Antimonii diaphoretici,
Cremoris Tartari,
Reſinæ Jalappæ ana partes æquales.

Miſce, fiat Pulvis.

*Ita dicitur à* Cornacchino, *qui commentarium in hunc pulverem ſcripſit; vocatur alias* Pulvis Comitis de Warwick, *aut* Cerberus triceps. *Placuit nobis majoris ſecuritatis & tormina evitandi gratia, Dacrydio Sulphurato ſubſtituere Reſinam Jalappæ. Humores peccantes educit, vitia ventriculi, nauſeam, anorexiam corrigit & bilioſos affectus curat. Doſis in infantibus grana aliquot; pueris ad ſcrupulum ſemis; adultis ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, ſcrupulos duos uſque. Drachma ſemis continet reſinæ ſcrupulum ſemis.*

## PULVIS DENTIFRICIUS.

℞. Coralliorum rubrorum præparatorum drachmam unam,
Cornu Cervi uſti præparati unciam ſemis,
Gummi Laccæ ſelecti,
Sarcocollæ ana drachmam ſemis,
Caryophyllorum aromaticorum drachmam unam ſemis,
Oſſium Sepiæ præparatorum drachmas tres,
Oſteocollæ præparatæ,
Pulveris Radicis Ireos Florentinæ ana unciam unam.

Miſce, fiat Pulvis.

*Nomen uſum indicat.*

## PULVIS EPILEPTICUS MARCHIONIS.

℞. Radicis Pæoniæ albæ unciam ſemis,
Coralliorum rubrorum, alborum,
Cornu Cervi uſti præparati,
Matris Perlarum præparatæ,
Raſuræ Eboris,
Spodii ex Ebore,
Viſci Querni,
Ungulæ Alcis ana drachmam unam,
Foliorum Auri numero viginti.

Miſce, fiat Pulvis.

*Remedium eſt in vulgus ſat notum & mulierculis uſitatiſſi-*

*mum, in motibus convulſivis & epilepticis, tam curandis, quam præſervandis, infantibus exhiberi ſolitum, ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulum unum, vel cuſpidatim; infantibus recens natis utplurimum quoque porrigitur.*

PULVIS EPILEPTICUS NIGER KÜFFERI.

℞. Pulveris Epileptici Marchionis uncias duas,
Hirundinum combuſtarum,
Spinæ dorſi Muſtelæ piſcis,
Unicornu veri ana unciam unam.

Miſce, fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

*Ad epilepſiam, morbos convulſivos & ſpaſmodicos, pavores nocturnos &c. deprædicatur. Doſis ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos &c.*

PULVIS ERISYPELATODES MYNSICHTI.

℞. Farinæ volatilis uncias ſex,
Boli rubræ,
Plumbi uſti ana uncias duas,
Ceruſſæ,
Maſtiches electæ,
Olibani ana unciam unam.

Miſce, fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

*Hic Pulvis in eriſypelate inſpergitur, aut chartæ cæruleæ inſperſus applicatur.*

PULVIS FUMALIS.

℞. Aſæ dulcis,
Storacis Calamitæ ana uncias quinque,
Maſtiches electæ,
Succini citrini ana uncias octo,
Gummi Anime,
Ladani ana uncias duas,
Olibani uncias quatuor,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cinamomi,
Cyperi rotundi,
Ireos Florentinæ,
Santali citrini ana unciam ſemis,
Florum Roſarum rubrarum,
Spicæ ana uncias duas,
Sacchari Canarienſis uncias quatuor,
Baccarum Juniperi uncias tres.

Inciſa & contuſa groſſo modo miſce.

*Uſum nomen demonſtrat.*

## PULVIS HEPATICUS RUBER DRESDENSIUM.

℞. Cryſtallorum Tartari uncias quatuor,
Tincturæ Santali, Spiritu Vini & modico Spiritus Vitrioli paratæ, quantitatem ſufficientem.

Miſce in mortario vitreo ad pultis conſiſtentiam, exſiccentur ſenſim leni calore &, minutiſſime pulveriſata, ſerventur. Ut guſtui acceptiores fiant, adde

Sacchari Canarienſis uncias tres.

Miſce iterum diligenter & ſerva.

*Incarnato colore ſuo oculis ſe commendant* Cryſtalli *hæ* Tartari *compoſitæ. Vires inſignes ſunt, hepati præprimis auxiliares æſtuanti, inde in calidis affectibus tuto uſurpari poſſunt. Doſis grana decem & ultra; aſſumitur hic Pulvis in liquore appropriato.*

## PULVIS AD PALPITATIONEM CORDIS.

℞. Matris Perlarum præparatæ unciam ſemis,
Cinnabaris factitiæ unciam unam,
Olei deſtillati Cinamomi ſcrupulos duos,
Sacchari albiſſimi uncias duas ſemis,
Foliorum Auri numero octo.

Miſce, fiat Pulvis.

*Vires nomen indicat: pro confortante remedio atque cordiali poterit etiam uſurpari. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, vel ſumitur etiam cuſpidatim.*

## PULVIS PANNONICUS.

℞. Boli Armenæ præparatæ,
Radicis Contrayervæ,
Terræ Lemniæ ana unciam ſemis,
Coralliorum alborum præparatorum,
rubrorum præparatorum,
Cornu Cervi uſti præparati,
Lapidum Cancrorum citratorum,
Spodii ex Ebore, ana drachmas tres,
Santali rubri drachmam unam,
Croci Orientalis drachmam ſemis,
Foliorum Auri numero duodecim.

Miſce, fiat Pulvis.

Frequens

*Frequens hujus Pulveris & in vulgus notiſſimus uſus eſt, pro ſcopo diaphoretico & alexipharmaco, in variolis, morbillis, febribus continuis & malignis: laudatur quoque in alvi fluxibus & dyſenteria. Datur vel cuſpidatim, vel ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis.*

## PULVIS STERNUTATORIUS COLORATUS.

℞. Florum Liliorum convallium,
Roriſmarini,
Roſarum rubrarum,
Herbæ Betonicæ ana unciam unam,
Majoranæ unciam ſemis,
Radicis Iridis Florentinæ uncias tres,
Galangæ,
Cinamomi,
Styracis Calamitæ ana unciam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam ſemis,
Maceris,
Ligni Rhodii ana drachmas duas,
Santali citrini,
Florum Calendulæ,
Cyani ana drachmas ſex,
Tabaci granulati uncias octo.

Inciſa, contuſa, miſce.

*Uſum titulus indicat.*

## PULVIS STERNUTATORIUS VIRIDIS.

℞. Herbæ Baſilici,
Betonicæ,
Majoranæ ana uncias duas,
Florum Lavendulæ,
Liliorum convallium,
Roriſmarini,
Radicis Iridis Florentinæ ana unciam ſemis,
Caryophyllorum,
Cubebarum,
Seminis Nigellæ ana drachmas duas,
Olei Caryophyllorum,
Lavendulæ,
Ligni Rhodii ana ſcrupulum unum.

Miſce, fiat Pulvis ſubtiliſſimus.

*Cum præcedente convenit.*

## PULVIS STOMACHICUS BIRCKMANNI.

℞. Pulveris radicis Ari præparatæ uncias duas,
Acori vulgaris,

Pulveris radicis Pimpinellæ albæ ana unciam unam,
Oculorum Cancrorum unciam ſemis,
Cinamomi drachmas tres,
Salis Abſinthii drachmas duas.

Miſce, fiat Pulvis.

*Pulvis hic, ex aromaticis & præcipitantibus conſtans, conducit in cruditatibus ventriculi, anorexia & dyſpepſia; nec non in affectibus pectoris incidendi gratia. Datur vel per ſe, ad drachmam uſque; vel communiter, cum æquali Sacchari pondere mixtus, inſtar Trageæ poſt paſtum ſumitur.*

## PULVIS STRUMALIS.

℞. Spongiarum uſtarum libram unam,
Lapidis Pumicis,
Specularis,
Pilæ marinæ combuſtæ ana uncias quatuor,
Lapidis Spongiæ uncias ſex,
Cinamomi,
Gallarum,
Oſſis Sepiæ,
Piperis longi,
nigri,
Pyrethri,
Salis Gemmæ,
Zingiberis ana unciam unam.

Miſce, fiat Pulvis.

Cujus libræ uni, adde

Sacchari uncias quatuor.

*Luna decreſcente præſertim in uſum trahitur, mane & ſero; duos cultri cuſpides, vel drachmam, & quidem, ſi fieri poteſt, in forma ſicca, deglutiendo.*

## PULVIS SYMPATHETICUS.

℞. Vitrioli Veneris Romani, vel Cyprii, quantum vis.

Diſſolve in Aqua ſimplici, filtra per chartam bibulam, evapora lento igne & coagula, contundè groſſo modo & ferventioribus Solis radiis expone per quatuordecim dies & ultra, uſque dum accuratiſſime fuerit calcinatum.

*Not.* 1. Cum aër ſerenus eſt, Soli eſt exponendum &, ubi pluvioſus & humidus, in locum ſiccum transferendum Vitriolum.

*N.* 2. Ne Marte attingatur, tam quando fit, quam factus eſt pulvis.

*N.* 3. Hic labor inſtituendus eſt die vigeſimo quinto Julii, Sole in Draconem ingredi-

ente, & præſtat quatuor vel quinque dies & noctes expectare, ut certiores ſimus de ipſius confirmatione in propria domo.

*N.* 4. Hic pulvis uſui aſſervandus eſt in loco ſicco, ne, excrementitia humiditate recuperata, formam priſtinam aſſequatur, unde non levis ſequeretur ipſius virtutis diminutio.

Pro cujuſque lubitu miſceri poterit Tragacantha, vel in quantitate æquali, vel decimam ſolummodo partem aſſumendo. Sunt, qui miſcent Uſneam cranii humani. Non autem ſemper neceſſarium eſt, ut hæc notata obſerventur.

*Commendatur præſertim externe, ad vulnera recentia conſolidanda & hæmorrhagias quaſvis ſiſtendas, etiam in ſubjectis remotis, modo de eorum ſanguine in linteaminibus obtineatur. Utinam experientia effectum ſemper comprobaret!*

## PULVIS TEMPERANS STAHLII

*vid.*

## PULVIS ANTISPASMODICUS HALLENSIUM.

## PULVIS TRIUM NUMMORUM.

℞. Raſuræ Eboris,
Trageæ albæ ana libram unam,
Croci Orientalis unciam ſemis.

Miſce, fiat Pulvis.

*Ad tormina infantum curanda & præſervanda adhibetur à plebe & mulierculis. Datur cuſpidatim.*

## PULVIS CONTRA VERMES.

℞. Seminis Cynæ uncias duas,
Foliorum Sennæ ſine ſtipitibus unciam unam,
Coriandri præparati,
Cornu Cervi uſti,
Muſci Corallini ana unciam ſemis.

Miſce, fiat Pulvis.

*Virtutes nomen declarat. Doſis ejus eſt ad drachmam ſemis, ad drachmam integram, ſemel, vel bis in die; vel ſumitur etiam cuſpidatim, aliquoties de die.*

## RADICUM ARI PRÆPARATIO.

Fit radices Ari, à ſordibus & pelliculis mundatas, blande exſiccando, & pulveriſando.

*Incidit mucum viſcidum, unde & ſtomacho egregie ſuccurrit, appetitum excitando & coctionem juvando. Aperit præterea, unde morbis ab obſtructione ortis, cachexiæ, hydropi, aſthmati medetur. Datur ad ſcrupulum unum pro doſi.*

## RADICUM SCILLÆ PRÆPARATIO.

Radix Scillæ involvitur maſſæ panis, atque cum eadem in clibano coquitur, hinc eximitur atque lamellatim exſiccatur.

*Aperit, incidit, abſtergit, in pectoris potiſſimum affectibus, à craſſa viſcida materia oriundis, commendatur.*

## REGULUS ANTIMONII.

℞. Antimonii electi,
Tartari ana libram unam ſemis,
Nitri ſicciſſimi libram unam.

Pulveriſata miſceantur & in crucibulo ignito detonentur; poſtea, igne fuſionis adhibito, in fluorem deducantur; in conum fuſorium, calefactum & ſevo illitum, effundantur, ut in fundum abeat Regulus, concutiendo; tandem Scorias ab eo ſeparando & Regulum Aqua abluendo. Ex Scoriis per coctionem in Aqua ſolutis, filtratis, per præcipitationem cum Aceto, *Sulphur Auratum Antimonii* paratur.

*In uſum internum minime venit Regulus, quia vi emetica vehementi gaudet. Inſervit alias ad pocula & pilulas emeticas perpetuæ virtutis exinde formandas, & ad varia alia medicamenta Antimonialia præparanda.*

## REGULUS ANTIMONII MARTIALIS STELLATUS.

℞. Clavorum ferreorum purgatorum uncias octo.

Candefactis in crucibulo, injice ſucceſſive

Antimonii Hungarici pulveriſati uncias ſedecim.

Optime fuſis, adde

Nitri ſicciſſimi uncias quatuor.

Fluant ſic probe, per horæ quadrantem aut ultra, igne ſat forti, ad inſtar aquæ, & tandem in conum fuſorium, ſevo illitum, effundantur, conum malleo æqualiter percutiendo, ſicque promovendo Reguli ſubſidentiam & ſeparationem. Refrigeratis poſt omnibus eximatur tota maſſa, cui in

in fundo adhærebit Regulus, interne ſtellam repræſentans, qui à Scoriis ſeparandus & Aqua abluendus.

*Ex hoc Regulo facilius quam ex ſimplici parantur pocula emetica, inſervit alias præprimis pro* Specifico Stomachico *parando.*

## REGULUS ANTIMONII MEDICINALIS,
*ſeu*
## FEBRIFUGUM CRAANII.

℞. Antimonii drachmas quinque,
Salis communis unciam ſemis,
Tartari drachmam unam.

Mixta & pulveriſata fundantur in crucibulo quam optime, fuſa ad refrigerandum reponantur, Scoriæ à Regulo, in fundum ſecedente, ſeparentur. Regulus eſt friabilis, purpurei coloris, qui, pulveriſatus & Aqua edulcoratus, ſervetur ad uſum.

*In febribus quibusvis, & intermittentibus, & continuis, in ſcabie & aliis cutis vitiis commendatur. Datur ad grana quinque, viginti & ultra, ſed major ejus doſis plerumque vomitum movet.*

## RESINA ET MAGISTERIUM JALAPPÆ.

℞. Radicum Jalappæ quantum lubet.

Craſſiuſcule contuſis affundatur Spiritus Vini optime rectificatus, ut tres, vel quatuor digitos emineat: ſtent in infuſione, in loco calido, per aliquot dies, poſtea colentur cum forti expreſſione; extractionem hanc toties repetendo, quouſque Spiritus Vini non amplius tingatur. Spiritus Vini deſtillando ſeparetur, reſinoſa ſubſtantia Jalappæ, in fundo cucurbitæ hærens, Aqua clara aliquoties lavetur, ſiccetur & pulveriſetur. Sic obtinetur *Reſina.* Quando vero hæc, per Aquam infuſam in Spiritum Vini, ad fundum præcipitatur, dicitur *Magiſterium.*

*Purgat ſat valide, hinc nonniſi in ſubjectis convenientibus adhibeatur. Doſis ad grana tria, decem, duodecim. Diſſolvitur in liquore ſpirituoſo ardente. Si cum vehiculo aquoſo velis exhibere, teratur vel cum Nucleis Pineis, aut Amygdalis dulcibus, vel cum Vitello Ovi prius diſſolvatur.*

## ROOB EBULI.

℞. Pulpæ Granorum Ebuli, debitæ conſiſtentiæ, libram unam,
Sacchari uncias duas.

Coque ad Mellis ſpiſſitudinem.

*Diaphoreticum eſt & alexipharmacum atque diureticum, pro ſero hydropicorum imminuendo in vulgus notiſſimum. Datur ad drachmam unam, unciam ſemis & ultra.*

## ROOB JUNIPERI.

℞. Baccarum Juniperi, maturarum, recentium, conquaſſatarum, quantum placet.

Coquantur Aqua communi ſufficienter, donec molleſcant, tum per ſetaceum colentur ac modice exprimantur: ſuccus inde natus ad conſiſtentiam Mellis, calore moderato, inſpiſſetur.

*Sudorem movet & ruſticorum eſt Theriaca. Commendatur etiam in ſtomachi morbis & flatibus; in urina & calculo pellendo: hydropicis quoque conducit.*

## ROOB NUCUM.

℞. Succi Corticum viridium Juglandium libras quatuor,
Mellis libras duas.

Coquantur ut eſt artis.

*Virtute quadantenus adſtringente gaudens, commendatur in ulceribus oris & linguæ demulcendis; item in angina & tonſillis tumefactis.*

## ROOB SAMBUCI.

Fit ut Ebulinum.

*Adeo præſtans eſt, ut vulgus illud etiam Theriacæ adæquet. Diaphoreticum eſt & maſſam ſanguineam purificat, unde in omnibus affectibus, ubi expulſione opus eſt, uſurpatur. Hydropicis quoque conducit. Virtutem etiam habet antifebrilem. Sumitur ad dimidium, ad integrum cochleare & ultra.*

## SACCHARUM LACTIS.

Lacti Vaccino, menſe Junio vel Julio collecto, ac modo vulgari cocto, tot Ova recentia adduntur, ut abeat in coagulum. Serum ab hoc coagulo deinde ſeparatur, ac ſtatim coquitur, ne aceſcat, atque, leni hac coctione, aliquantulum inſpiſſatur: illud tamen ſæpius per linteamina munda filtrando, quo omnis viſcoſitas hac ratione à Sero ſepare-

tur. Lenis coctio, aut evaporatio autem tamdiu continuanda eſt, donec cuticula in ſuperficie liquoris concreſcat; qua viſa, ab igne removetur, & in loco frigidiuſculo collocatur; ſic intra breve tempus Cryſtalli Salinæ, dulcis & gratiſſimi ſaporis naſcuntur, quæ eximendæ, ac leni præmiſſa exſiccatione aſſervandæ ſunt.

*Demulcens, anodynum, antiſpaſmodicum, antarthriticum & antiſcorbuticum eſt. Datur à drachma una, ad drachmas duas.*

## SACCHARUM SATURNI.

Fit ex Aceto Lithargyrii, illud inſpiſſando & ad Cryſtalliſandum reponendo.

*Licet pro uſu interno à quibusdam commendetur, tamen à rationali praxi jure abeſſe debet. Externe laudatur ad libidinem coërcendam, imprimis in ulceribus ſerpentibus, malignis, cancroſis, impetiginibus, ambuſtis atque inflammationibus, ut & in doloribus hæmorrhoidum: confert quoque in inflammationibus & rubedine oculorum. Uſus tamen externus etiam cautus ſit.*

## SAL ABSINTHII.

℞. Abſinthii ſicci quantum vis. Incineretur, Sal extrahatur cum Aqua communi calida aliquamdiu digerendo, poſtea Aqua per filtrationem ſeparetur, idque, novam affundendo, eouſque repetatur, donec Aqua ſapore lixivioſo non amplius imbuatur, tandem exhalando coaguletur &, denuo calcinatum, ſolutum & filtratum, evaporetur ad ſiccitatem.

*Commendatur ad aperiendas obſtructiones. Purgantibus additur pro ſtimulo. Virtutem antifebrilem & ſtomachicam obtinere dicitur; & præſertim in vomitu cum Succo Citri maritatum laudatur. Datur ad ſcrupulum uſque & paulo ultra.*

Eodem modo

Ex aliis quoque Vegetabilibus, e. g.

CARDUO BENEDICTO, CENTAURIO MINORI, &c.

Salia Lixivioſa parari poſſunt.

*Quibus diverſæ quidem adſcribuntur virtutes, ſed, ſi dicendum quod res eſt, nullatenus diſcrepant.*

## SAL ACETOSELLÆ ESSENTIALE.

℞. Herbæ Acetoſellæ recentis quantum placet.

Eam, in mortario marmoreo conquaſſando, ad pultiformem conſiſtentiam redige, ſuccum deinde torcularis ope exprime, expreſſum per noctem quieſcere permitte, ut feces craſſiores terreo-mucilagineæ ad fundum ſecedant; quo facto eum, patinæ terreæ vitreatæ infuſum, cum Albumine Ovi agitando clarifica, deinde igni admove &, impuritatibus ſurſum cum ſpuma protruſis, filtra, filtratum in vaſe vitreo, arenæ calidæ imponendo, ad Mellis liquidi conſiſtentiam leni evaporatione redige atque in locum frigidiuſculum colloca, ut partes Salinæ in Cryſtallos congregentur; quibus, ſi prima vice nitorem perfectum nondum adeptæ fuerint, major puritas & albedo, reiterata ſolutione, filtratione & coagulatione conciliari poterit.

*Hepati præprimis eſt dicatum, conducit etiam in febribus ardentibus; utplurimum autem uſurpatur ad maculas ab atramento ex linteaminibus eliminandas.*

## SAL ANGLICUM VOLATILE.

Ex tempore paratur ſequenti modo.

℞. Salis Ammoniaci depurati unciam unam,
Cinerum Clavellatorum depuratorum uncias duas,
Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſi drachmam ſemis.

Maſſæ huic mixtæ adde

Olei deſtillati Lavendulæ guttas duodecim.

*Uſurpatur externe naribus admovendo, pro excitandis lipothymicis & refocillandis ægris.*

## SAL CATHARTICUM AMARUM, *vel* SAL MIRABILE GLAUBERI.

℞. Salis communis, depurati ac probe ſiccati, libram unam,
Olei Vitrioli quantum ſufficit.

Inſtilletur Oleum Sali ſucceſſive, uſque dum non amplius efferveſcat. Tunc Sal, quod probe notandum, calcinetur in crucibulo ad albedinem, poſtea ſolvatur in Aqua calidiſſima, filtretur ac reponatur in cellam, aut alium locum frigidum; ſic obtinebis Cryſtallos elegantiſſimas, ſiſtentes verum *Sal Mirabile* GLAUBERI: quod alias etiam ex reſiduo à deſtillatione Spiritus Salis fumantis, cum Oleo Vitrioli, parari

rari ſolet; illud, ſi opus eſt, in crucibulo calcinando, donec nullos amplius fumos emittat, in Aqua fervida ſolvendo, lixivium fervens, colatum, paululum inſpiſſando &, in vaſe magno, ad cryſtalliſandum reponendo.

*Adhibetur non ſolum laxandi ſcopo, ad drachmas duas, ſex, ad unciam unam & ultra; ſed & ceu egregium incidens, digeſtivum, aperiens & diureticum, in refracta doſi, ad ſcrupulum, drachmam ſemis &c.*

## SAL CORNU CERVI VOLATILE,

*vid.*

SPIRITUS CORNU CERVI.

## SAL MIRABILE GLAUBERI

*vid.*

SAL CATHARTICUM AMARUM.

## SAL POLYCHRESTUM LEMERY.

℞. Nitri crudi,
Sulphuris crudi ana libram unam.

Pulveriſa & accurate commiſce. Hujus mixturæ unciam unam circiter, in optimum crucibulum, in igne prius calefactum, immitte, orietur magna flamma, qua præterita, totidem adhuc materiæ in id conjice; ſicque perge quouſque mixtura tota fuerit inſumta. Continua ignem adhuc per horas quatuor, vel quinque, ita ut ſemper candens ſit crucibulum, hinc, refrigeratam in crucibulo, materiam pulveriſa ac ſolve in Aqua, ſolutionem filtra & evapora in fictili ex glarea, vel in vitreo vaſe, igne arenæ, ad cuticulæ apparentiam, filtra & ad cryſtalliſandum repone. Si omnino album Sal hoc non eſſet, ob Sulphur adhuc latitans id fieret: calcinando in crucibulo igne magno, ſpatula agitando, per horas tres vel quatuor, vel quouſque probe album evaſerit; hinc iterata ſolutione in Aqua, filtratione ac cryſtalliſatione habebis *Sal Polychreſtum* puriſſimum.

*Vires obtinet detergentes & viſcidum incidentes; hinc optimum purgantibus ſociatum addit ſtimulum. Alias & per ſe, ad ſcrupulum, ad drachmam uſque & ultra adhibitum alvum laxat. In febribus intermittentibus inſigne eſt deobſtruens atque diureticum.*

## SAL POLYCHRESTUM SEIGNETTE.

℞. Sodæ Hiſpanicæ libram unam,
Diſſolvatur in
Aquæ fontanæ ferventis libris tribus.

Solutio per chartam filtretur,

& in vaſe figulino ebulliat; inter bulliendum inſpergatur

Cryſtallorum Tartari, in pulverem tritorum, quantum lixivium Sodæ capere poteſt: ſufficiunt plerumque unciæ ſex, vel ſeptem.

Mox poſt additionem Cryſtallorum Tartari oritur effervescentia, quæ per intervalla ceſſat & renaſcitur. Tandem præcipitatur pulvis levis, cineritii coloris. Liquor ſupernatans per chartam filtratus, ad tertias, lento igne, evaporatur, atque ad cryſtalliſationem reponitur.

*Diureticum, digeſtivum &, in majori doſi, à drachmis duabus, ad ſex, ad unciam uſque, eſt laxans.*

## SAL AUT LAPIS PRUNELLÆ *ſive* NITRUM TABULATUM *vel* CRYSTALLUS MINERALIS.

℞. Nitri depurati libram unam.

Exſiccatum & tritum, in crucibulo, igni impoſito, liquefiat, cui dein pededentim injiciatur fruſtulorum

Sulphuris uncia ſemis.

Quo deflagrato tandem in laminam metallicam politam guttatim effundatur, ut in Rotulas abeat & frigore concreſcat, tuncque vocatur *Nitrum Tabulatum.* Si vero maſſa in pelvim effunditur & agitatur leniter, tunc audit *Sal* vel *Lapis Prunellæ*, vel etiam *Cryſtallus Mineralis.*

*Convenit ad ſitim ſedandam & æſtum ſanguinis compeſcendum; hinc in febribus, etiam ardentibus, uſurpatur; hæmorrhagias quoque ſedat.*

## SAL SUCCINI VOLATILE *vide ſub* OLEO SUCCINI.

## SAL TARTARI.

Sternitur Tartarus in vaſe terreo non vitreato, plani fundi, ad craſſitiem digiti, calcinatur poſtea ad albedinem uſque; tum Aqua communi ſolvitur, filtratur & coagulatur; qui labor tamen repetendus eſt, uſque dum Sal penitus album evadat. Extrahitur etiam ex capite mortuo, poſt deſtillationem Spiritus & Olei reſiduo, eodem modo. In aëre per ſe, in manica HIPPOCRATIS, in cella ſuſpenſum, in liquorem faceſſit in vas ſubjectum, qui

OLEUM TARTARI PER DELIQUIUM

vocatur.

*Quod ad maculas cutis delendas, cutim nitidam reddendam, & ſcabiem ſanandam adhibetur. Sal & Oleum de cætero ceu menſtrua & ad varia remedia exinde conficienda uſurpantur.*

## SAL VEGETABILE
*ſive*
## TARTARUS SOLUBILIS
*aut*
## TARTARUS TARTARISATUS.

℞. Cremoris aut Cryſtallorum Tartari quantum placet.

Diſſolvantur in Aqua fervente & bulliente. Solutioni filtratæ & ſuper ignem poſitæ, ſenſim inſtilletur Oleum Tartari per deliquium, donec non amplius invicem efferveſcant, & Syrupi Violarum colorem non mutent; liquor denuo filtretur & evaporetur ad ſiccitatem ſerveturque Sal, in vaſe clauſo.

*Egregium eſt medicamentum digeſtivum, aperitivum, diureticum & purgantium operationem citra tormina optime promovens. Doſis eſt ſcrupulus ſemis, ad drachmas duas. Solvitur in quocunque liquore, etiam in Aqua frigida, in qua Tartarus alias non diſſolvitur.*

## SAL VOLATILE OLEOSUM SYLVII
*vid.*
## LIQUOR VOLATILIS OLEOSUS SYLVII.

## SAPO OFFICINALIS.

℞. Salis Tartari concentrati ignei quantum placet.

Dilue Aquæ puræ calidæ, ea copia, ut lixivium ita paratum poſſit ſuſtinere Ovum recens. Hoc lixivium *Magiſtra* artificibus dicitur. Dein hujus Magiſtræ portionem pluri Aqua dilue, ita, ut in hoc ſecundo lixivio, quod *debilius* vel *ſubſequens* nuncupant, Ovum recens ad fundum ſubmergatur. Poſtea Oleum expreſſum recens Olivarum optime miſce cum lixivii debilis portione æquali, quantum fieri poterit, quam accuratiſſime, ut albiſſimum ſit. Hæc ita ſimul coque, leni igne, bene movendo, donec difflata imprimis aqua, inceperint quam optime coire inter ſe. Tum vero affunde Magiſtræ, reſpectu Olei triplum, miſce, coque tamdiu, donec maſſa cogatur adeo ſpiſſa, ut pauculum ejus frigido lapidi impoſitum, forma ſolidi debita conſiſtat. Hæc maſſa Croco, Coccionella, Curcuma &c. colorari, Peruviano quoque Balſamo condiri poteſt.

*Abſtergit, aperit, attenuat. Datur ad grana ſex, ad duodecim, vel per ſe, vel cum convenienti vehiculo.*

## SCAMMONIUM SULPHURATUM.

℞. Scammonii, ſubtiliſſime triti, unciam unam, vel uncias duas.

Extendatur ſupra chartam bibulam cribro impoſitam; ſubtus accendatur Sulphur, donec albeſcat.

*Doſis & uſus ut Dacrydii; ſed hodie vix aliter uſurpatur, quam ut ſtimuli loco addatur aliis purgantibus ad aliquot grana.*

## SPECIES PRO CATAPLASMATIBUS.

Sunt Species pro Decocto Emolliente.

## SPECIES PRO CUCUPHIS.

℞. Radicis Ireos Florentinæ uncias tres,
Herbæ Lavendulæ,
Majoranæ ana unciam unam,
Ligni Rhodii,
Santali citrini ana drachmas ſex,
Cinamomi drachmas duas,
Corticis Aurantiorum unciam ſemis,
Corticis Citri unciam unam ſemis,
Caryophyllorum drachmas duas ſemis,
Benzoës,
Maſtiches,
Storacis Calamitæ,
Succini citrini ana unciam ſemis.

Miſce pulveriſata groſſo modo.

*Uſus tempore aliquot guttis Olei Ligni Rhodii, Cinamomi, aut alterius irrora.*

## SPECIES DECOCTI ANTIFEBRILIS.

℞. Radicis Cichorei,
Eryngii,
Scorzoneræ ana drachmas tres,
Herbæ Capillorum Veneris,
Endiviæ,
Meliſſæ,
Florum Bugloſſi,
Violarum ana drachmam unam,
Paſſularum minorum unciam unam,
Seminis Fœniculi unciam ſemis,
Foliorum Sennæ mundorum drachmas ſex,
Rhabarbari Alexandrini drachmas duas,

Agarici mundati drachmam unam ſemis,
Tamarindorum, cum nucleis & ſtipitibus, uncias duas ſemis,
Cryſtallorum Tartari drachmas tres,
Salis Abſinthii drachmas duas,
Cinamomi acuti ſcrupulos quatuor.

Inciſa & contuſa miſceantur.

*Tempore uſus coquantur in quantitate ſufficiente Aquæ, per horæ quadrantem, in vaſe optime tecto. De hoc decocto ſingulis diebus intermiſſionis febrilis hauſtus, aliquot unciarum, trium vel quatuor aſſumitur. Utplurimum autem ad potiones laxantes vehiculi loco adhibetur: ſicuti quoque haud incommode Manna in eo diſſolvitur. Drachma ſpecierum pro uncia una liquoris eſt ſumenda.*

## SPECIES DECOCTI ANTIPHTHISICI.

℞. Radicis Althææ,
Iridis Florentinæ,
Symphyti majoris ana unciam unam ſemis,
Liquiritiæ uncias duas,
Herbæ Agrimoniæ,
Hederæ terreſtris,
Hyſſopi,
Marrubii,
Piloſellæ,
Plantaginis minoris,
Pulmonariæ utriuſque,
Saniculæ,
Scabioſæ,
Trifolii pratenſis,
Tuſſilaginis,
Virgæ Aureæ,
Florum Bellidis minoris,
Piloſellæ,
Roſarum,
Violarum ana uncias tres,
Seminis Aniſi drachmas duas.

Inciſa & contuſa ſerventur pro uſu.

*Convenit decoctum, ex his ſpeciebus paratum, aliquoties de die, calide hauſtum, in phthiſi, roborandi & conſolidandi ſcopo. Pro duabus libris liquoris ſumi poteſt uncia una ſpecierum & ultra.*

## SPECIES DECOCTI CARMINATIVI.

Sunt Species Emollientes addendo tempore uſus

Unciæ uni Specierum,

Seminis Aniſi,
Carvi,
Cumini,
Dauci,
Fœniculi ana ſcrupulum unum.

*Harum Specierum Decoctum, etiamſi per os aſſumi queat, frequentiſſime tamen & utplurimum in Clyſteribus adhibetur.*

SPECIES DECOCTI EMOLLIENTIS.

℞. Radicis Althææ,
Malvæ,
Herbarum quinque Emollientium,
Florum Chamomillæ,
Seminis Lini ana unciam ſemis.

Miſce inciſa.

*Decoctum exinde factum, inſervit potiſſimum pro Clyſmatibus.*

SPECIES DECOCTI LENITIVI.

℞. Radicis Acori,
Apii,
Fœniculi,
Glyzyrrhizæ,
Petroſelini ana uncias quatuor,
Aſari unciam ſemis,
Herbæ Agrimoniæ,
Herbæ Betonicæ,
Ceterach,
Cichorei,
Cuſcutæ,
Endiviæ,
Fumariæ,
Lupuli ana uncias duas,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam unam,
Polypodii querni uncias duodecim,
Ficuum pinguium,
Prunorum Damaſcenorum ana numero triginta duo,
Paſſularum uncias quatuor,
Sennæ Alexandrinæ unciam unam,
Florum quatuor Cordialium ana unciam unam.

Incidantur, contundantur & miſceantur.

*Decoctum exinde paratum conducit in obſtructionibus infimi ventris. Uſurpatur plerumque ad laxantia & purgantia medicamenta in eo diſſolvenda, per ſe hauritur ad aliquot uncias.*

SPECIES DECOCTI LIGNORUM.

℞. Ligni Sancti,
Saſſafras ana uncias duas,

Ligni Santali rubri unciam unam,
Radicis Chinæ,
Liquiritiæ,
Sarſaparillæ ana unciam ſemis,
Polypodii drachmas ſex,
Raſuræ Cornu Cervi unciam unam ſemis.

Miſce.

*Inſerviunt pro Decoctis ſudoriferis in affectibus catarrhalibus, ſcabie, morbis venereis &c. Adhibentur diverſa doſi, pro intentione & ſcopo curantis.*

## SPECIES DECOCTI NEPHRITICI.

℞. Radicis Fœniculi,
Petroſelini ana uncias duas,
Althææ,
Liquiritiæ ana unciam unam,
Iridis Florentinæ,
Pareiræ Bravæ,
Herbæ Lamii Plinii,
Parietariæ ana unciam ſemis,
Florum Althææ,
Geniſtæ,
Malvæ,
Saxifragæ ana drachmas ſex,
Cicerum rubrorum confractorum uncias ſex,
Seminis Dauci,
Fœniculi ana drachmas ſex,
Caricarum pinguium,
Jujubarum ana numero triginta,
Hordei mundati uncias tres.

Inciſa & contuſa craſſiuſcule ſerventur pro uſu.

*Ad dolores ex calculo leniendos decocta ex iis parantur, quæ abſtergunt, leniunt, calculum pellunt & urinam promovent. Pro libra liquoris, uncia una ſemis Specierum requiritur.*

## SPECIES DECOCTI PECTORALIS.

℞. Paſſularum minorum mundatarum unciam unam,
Jujubarum numero triginta,
Dactylorum numero ſex,
Caricarum pinguium numero quatuor,
Hordei mundi unciam unam,
Radicis Liquiritiæ unciam ſemis,
Herbæ Capillorum Veneris,
Hyſſopi ana drachmas duas.

Incidantur & miſceantur.

*Decoctum harum ſpecierum in*

*morbis pectoris, tuſſi, aſthmate, reſpiratione difficili commendatur. Pro ſcopo pectorali uncia una, ad unciam unam ſemis, pro libra liquoris ſumitur. Pro potu ordinario ad menſuram unam liquoris, uncia una ſpecierum ſufficit.*

## SPECIES DIACRETÆ MYNSICHTI.

℞. Cretæ albæ præparatæ drachmas tres,
Nucis Moſchatæ drachmam unam ſemis,
Radicis Liquiritiæ,
Seminis Cydoniorum ana drachmam unam,
Boli rubræ præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum ana drachmam ſemis,
Lapidis Carpionis præparati,
Macis,
Maſtiches electæ,
Croci Orientalis ana ſcrupulum unum,
Sacchari albi uncias tres.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Abſorbendo & obtundendo acidum, ad ardorem ſtomachi, fluxus alvi compeſcendos commendatur. Doſis eſt ad drachmam dimidiam, ad drachmam unam.*

## SPECIES DIAMBRÆ MESUÆ.

℞. Caryophyllorum,
Cinamomi,
Cubebarum,
Doronici,
Galangæ,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmas tres,
Cardamomi majoris,
minoris,
Spicæ Indicæ ana drachmam unam,
Zingiberis drachmam unam ſemis,
Ligni Aloës,
Santali citrini,
Piperis longi ana drachmas duas,
Ambræ drachmam ſemis.

Miſce, fiat pulvis, quem completum facimus, addendo

Moſchi drachmam ſemis.

*Vires obtinent cephalicas, cordiales, ſtomachicas & aphrodiſiacas. Exhibentur ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulos duos: plerumque autem cum Saccharo in Rotulas convertuntur.*

## SPECIES DIAIREOS.

℞. Ireos unciam ſemis,
Sacchari Candi albi,

Specierum Diatragacanthæ frigidæ ana drachmas duas.

Miſce.

*Demulcent & leniter incidunt; hinc egregium conſtituunt remedium pectorale. Exhibentur ad ſcrupulum unum, ad duos.*

## SPECIES DIATRAGACANTHÆ FRIGIDÆ.

℞. Gummi Tragacanthæ albæ uncias duas,
Arabici drachmas decem,
Amyli unciam ſemis,
Radicis Althææ drachmas ſex,
Liquiritiæ drachmas duas.

Miſce, fiat Pulvis.

Ne Semina quatuor Frigida majora & Semen Papaveris albi rancorem Speciebus concilient, nonniſi uſus tempore iis miſceantur, nempe addendo

Specierum drachmæ uni,
Seminum quatuor Frigidorum majorum ana grana quatuor,
Papaveris albi grana ſex.

*Incraſſant & acrimoniam demulcent, unde conveniunt in defluxionibus catarrhalibus, tuſſi, pleuritide &c. Exhibentur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.*

## SPECIES PRO EPITHEMATE CORDIS ET PULSUUM.

℞. Herbæ Anthos,
Baſilici,
Majoranæ,
Meliſſæ,
Florum Cheiri,
Tunicæ ana unciam ſemis,
Lavendulæ,
Roſarum ana drachmas ſex,
Ligni Aloës,
Rhodii,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmas duas,
Cinamomi drachmas ſex,
Corticum Aurantiorum,
Citri ana drachmas tres.

Inciſa & contuſa groſſo modo, miſce.

*Uſus tempore irrorari poſſunt Oleis deſtillatis, vel Acetis fragrantibus.*

## SPECIES DE HYACYNTHO.

℞. Radicis Dictamni albi,
Tormentillæ,

Florum Roſarum rubrarum,
Foliorum Dictamni Cretici,
Seminis Acetoſæ,
Cardui benedicti,
Citri,
Portulacæ,
Granorum Chermes ana ſcrupulos quatuor,
Caryophyllorum drachmam unam,
Croci Orientalis ſcrupulos quatuor,
Boli Armenæ præparatæ,
Coralliorum rubrorum præparatorum,
Lapidis Hyacynthi præparati ana unciam ſemis,
Ligni Santali albi,
citrini,
rubri ana ſcrupulos quatuor.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus, addantur

Foliorum Auri optimi numero triginta.

*Vires cum illis, quæ Confectioni de Hyacyntho adſcribuntur, coincidunt.*

## SPECIES IMPERATORIS.

℞. Cinamomi optimi drachmas decem,
Zingiberis unciam unam,
Caryophyllorum unciam ſemis,
Galangæ,
Macis,
Nucis Moſchatæ ana drachmas duas.

Miſce groſſo modo inciſa.

*Vires obtinent cordiales, ſtomachicas atque carminativas. Uſurpantur vel per ſe cuſpidatim, aut ad ſcrupulum unum, ſcrupulos duos; vel miſcentur pulveriſatæ Trageis; ſive etiam cum Saccharo in Morſellos, quorum uſus inter acidularum aſſumtionem frequens eſt, adaptantur.*

## SPECIES PRO POTU INFANTUM.

℞. Raſura Cornu Cervi libras duas,
Eboris libram ſemis,
Radicis Liquiritiæ libram unam ſemis,
Polypodii libram ſemis,
Caricarum pinguium,
Siliquæ dulcis ana libram unam,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana libram ſemis,
Florum Tiliæ uncias quatuor.

Inciſa, contuſa miſce,

*Doſis pro menſura una Aquæ, uncia ſemis, vel una.*

## SPECIES PRO POTU ORDINARIO.

℞. Siliquæ dulcis uncias tres,
Radicis Acetoſæ ſylveſtris,
Fragariæ,
Graminis,
Liquiritiæ,
Polypodii ana uncias duas,
Florum Conſolidæ regalis unciam unam,
Seminis Coriandri,
Fœniculi ana unciam ſemis,
Raſuræ Cornu Cervi libram ſemis.

Miſce inciſa, contuſa.

*Decoctum exinde paratum cuilibet fere ſubjecto inſervit. Uncia una Specierum, pro menſura una liquoris, plus quam ſufficit.*

## SPECIES PRO PTISANA REGIA.

℞. Foliorum Cichorei cum toto unciam ſemis,
Sennæ mundatorum unciam unam,
Seminis Aniſi,
Seminis Coriandri ana drachmas duas,
Cremoris Tartari drachmas ſex,
Liquiritiæ raſæ unciam ſemis.

Miſce inciſa & contuſa.

*Pro infuſo laxante ordinario præſcribitur. Supra determinata portio pro tribus doſibus inſervire poterit.*

## SPECIES PRO VINO ABSINTHIACO.

℞. Herbæ Abſinthii unciam unam ſemis,
Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Scolopendrii ana unciam ſemis,
Radicis Helenii unciam unam ſemis,
Iridis Florentinæ unciam unam,
Calami Aromatici unciam ſemis,
Corticum Aurantiorum drachmas ſex.

Miſce.

*Hæ ſpecies ſufficiunt pro ſedecim menſuris Vini, quod inſigne exinde fit ſtomachicum. Qui majorem amarorem adamat, Herbarum amararum doſin adaugere poterit.*

## SPECIES PRO VINO HIPPOCRATICO.

℞. Cinamomi uncias quatuor,
Zingiberis unciam unam ſemis,
Caryophyllorum unciam unam,
Granorum Paradiſi,
Macis ana drachmas tres,
Cardamomi,
Galangæ ana unciam ſemis.

Inciſa & contuſa groſſo modo ſerventur uſui.

*Inſerviunt pro Vino Aromatico parando, quod* Hippocraticum *vocatur, a Manica* Hippocratis, *per quam colari ſolet. Ita autem paratur*

## VINUM HIPPOCRATICUM.

℞. Specierum præſcriptarum drachmas ſex,
Sacchari libram ſemis,
Vini rubri generoſi menſuram unam.

Stent in infuſione quamdiu opus, poſtea colentur per manicam Hippocratis.

*Vinum eſſe ſtomachicum nemo non videt: valet autem hic, ne quid nimis.*

## SPECIES VULNERARIÆ,

*vid.*

HERBÆ VULNERARIÆ.

## SPECIFICUM CEPHALICUM.

℞. Pulveris Epileptici Marchionis unciam unam,
Cinnabaris factitiæ unciam ſemis,
Nitri drachmas duas.

Miſce.

*Nomen vires indicat.*

## SPECIFICUM JALAPPINUM.

℞. Reſinæ Jalappæ drachmas ſex,
Pulveris Radicis Jalappæ uncias tres & drachmas tres,
Cremoris Tartari,
Tartari Vitriolati ana drachmas novem.

Miſce, fiat pulvis ſubtiliſſimus.

*Purgat valide. Doſis à ſcrupulo ſemis, ad drachmam ſemis. Poteſt uſus tempore addi Oleum Aniſi, Citri, Cinamomi, aut aliud.*

## SPIRITUS ANISI.

℞. Seminis Aniſi contuſi libram ſemis,
Spiritus Vini menſuram unam.

Mace-

Macerentur per octiduum, & lege artis Spiritus eliciatur.

*Stomachicus eſt & carminativus. Datur ad cochlear dimidium, ad unum, aut duo.*

## SPIRITUS ARTHRITICUS BOECLERI.

℞. Fecum vini menſuras viginti quatuor,
Herbæ Nicotianæ libras duodecim,
Baccarum Juniperi libras ſex,
Foliorum Majoranæ,
Origani,
Rorismarini,
Serpilli ana manipulos ſex.

Miſce, ſtent in infuſione, per aliquot dies, deinde deſtillentur per veſicam & Spiritus rectificetur.

*Diſcutit & roborat: uſu externo multum ſe commendat in doloribus rhevmaticis, iſchiadicis, catarrhis & paralyſi.*

## SPIRITUS ARTHRITICUS RUBER HENRICI.

℞. Radicis Sarſaparillæ unciam unam,
Corticis Ligni Sancti unciam ſemis,
Herbæ Anthos,
Herbæ Salviæ ana drachmas ſex,
Florum Lavendulæ drachmas duas,
Baccarum Lauri unciam unam,
Salis Tartari drachmam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libras duas ſemis.

Stent in digeſtione, per quatuordecim dies, colatura ſervetur ad uſum.

*Vires ex nomine patent.*

## SPIRITUS BEZOARDICUS BUSSII.

℞. Spiritus Cornu Cervi, Oleo ſubtiliori & Sale volatili ſaturati, unciam unam,
Salis Ammoniaci uncias duas,
Cinerum clavellatorum, Aqua prius ſolutorum, uncias ſex,
Succini bene pulveriſati uncias tres,
Olei de Cedro, vel Juniperi veri drachmas duas,
Spiritus Vini rectificati uncias viginti.

Probe invicem mixta, in cucurbita è Balneo arenæ, deſtillentur.

*Remedium eſt diaphoreticum, diureticum & antiſpaſmodicum inſigne; præſertim ſi, ſuadente* Hoffmanno, *cum ejus Liquore Anodyno miſcetur.*

## SPIRITUS CERASORUM NIGRORUM.

℞. Ceraſorum nigrorum quantum vis.

Contundantur cum nucleis & in vaſe querno reponantur, addito pauxillo fecum Vini, vel Cereviſiæ, uſque dum, fermentando, odorem vinoſum & nonnihil acidiuſculum acquiſiverint, deinde per veſicam leni igne deſtilletur Spiritus, qui ex cucurbita rectificandus.

*Habetur cephalicus, antaſthmaticus, ſtomachicus atque carminativus, ſumitur cochleatim. Externe valet in aphonia & paralyſi linguæ.*

## SPIRITUS COCHLEARIÆ PER ABSTRACTIONEM.

℞. Herbæ Cochleariæ florentis libras ſex.

Contuſæ & veſicæ immiſſæ, affunde

Spiritus Vini libras quatuor,
Aquæ fontanæ libram unam.

Juncturis probe clauſis deſtilla, igne moderato, Spiritum, quem, recenti Herbæ rurſus affuſum, cohobando, rectifica & in vitro probe obturato ſerva.

*Commendatur tanquam inſigne remedium antiſcorbuticum, vim quoque obtinet diureticam, ſtomachicam & carminativam. Exhibetur ad guttas decem, viginti, triginta &c. Externe potiſſimum convenit in ſcorbuto oris & gingivarum eroſione.*

## SPIRITUS CORNU CERVI, SAL VOLATILE & OLEUM EMPYREVMATICUM.

Repleatur retorta terrea firma fruſtulis minoribus apicum, ſeu extremitatum Cornuum Cervinorum, imponatur furno reverberii &, applicato receptaculo capaciſſimo, ſupponatur ignis, primo moderatus, dein ſucceſſive fortior, ut retorta obſcure candeat. Sic primo ſubtiliores apparebunt nebulæ, mox Phlegma extillabit, ſequentur nebulæ albicantes & ſic ſenſim Spiritus, ex Phlegmate & ſeſe inſinuante Sale volatili ortus, una cum Oleo Empyrevmatico ſubtiliori primo, dein craſſiori tranſibit; lateribus autem colli retortæ & receptaculo adhærebit Sal volatile ſiccum. Deſtillatione,

quando nullæ amplius nebulæ prodeunt, peracta, vaſisque refrigeratis, Spiritus ab Oleo per filtrum, aqua prius humectatum, ſeparetur; Sal volatile vero ſiccum, niſi cum Spiritu, ad intendendam ejus efficaciam, illud miſcere placuerit, ſeorſim colligatur. Spiritus ſupra Cineres vulgares cribratos, ex cucurbita, in Balneo arenæ rectificetur, qua ratione etiam Sal volatile & Oleum, ſi volupe eſt, poſterius tamen ex retorta, rectificari poterunt. Caput mortuum nigerrimum, vel ita ſervari, vel, ollæ apertæ immiſſum, in furno figulino, ad albedinem calcinari poterit, *Cornu Cervi Uſti* nomine tunc veniens.

*Spiritus humores potenter reſolvit & partes ſolidas ad vegetiores motus oſcillatorios fortiter excitat, adeoque ubi ſe- & excretiones, tam per ſudorem, quam urinam, promovendæ & motus quoque ſtimulandi ſunt, conducit, in ſubjectis & morbis magis frigidis & pituitoſis, ſenibus &c. Datur ad guttas decem, viginti & ultra. Sal volatile iiſdem, ſed penetrantioribus, viribus gaudet. Oleum rectificatum interne ſudorem fortiſſime movet, magis tamen externe ceu diſcutiens & purificans vulnerarium applicatur, in tumoribus partium frigidis, paralyſi membrorum atque ulceribus impuris & rebellibus, cum Balſamo Peruviano & ſimilibus remixtum. Caput mortuum denique non calcinatum, pro pigmento uſurpatur & à quibuſdam, infantibus, ad vermes enecandos, exhibetur. Cornu Cervi uſti vires ſub præparatione ejuſdem traduntur.*

## SPIRITUS FORMICARUM.

℞. Formicarum, menſe Junio, aut Julio, collectarum, libras quatuor,
Spiritus Vini ſimplicis menſuras tres.

Deſtillentur & liquor prolectus abſtrahatur denuo à

Formicarum libris duabus.

Servetur in vaſe probe obturato.

*Vocatur Spiritus prolectus etiam* Aqua Magnanimitatis, *quoniam uſu interno per cochlearia aſſumtus viros facit, & dormientia excitat genitalia. Valet inſuper ad cerebrum confortandum & memoriam; commendatur in apoplexia, vertigine & affectibus ſoporoſis. Externe additur mixturis articularibus, antiparalyticis. In malo iſchiadico & rhevmatiſmis prodeſt. Convenit*

*etiam in tinnitu aurium & auditus difficultate, vel inſtillatus, vel cum bombace inditus.*

## SPIRITUS JUNIPERI.

Baccæ Juniperi probe contundantur, & cum Aqua tepida, in qua portio aliqua fermenti, vel Sacchari &c. ſoluta fuerit, diluantur: hinc ad fermentandum reponantur; fermentatione peracta, deſtillatio inſtituatur.

*Remedium eſt ſtomachicum, aperiens ac diureticum; à calculo quoque præſervare dicitur. Adhibetur cochleatim. Externe in ventriculo frigido, affectibus colicis & renum prodeſt.*

## SPIRITUS LAVENDULÆ.

℞. Florum Lavendulæ libram unam.

Superfundantur

Spiritus Vini Gallicani libræ quatuor.

Macerentur deinde & Spiritus, lege artis, evocetur.

*Cephalicus eſt atque ſtomachicus, rarius autem interne uſurpatur. Externe in membris paralyticis confortandis, in ſugillationibus diſcutiendis & doloribus rhevmaticis prodeſt.*

## SPIRITUS LIGNI GUAJACI CUM OLEO.

℞. Ligni Guajaci, raſpati, aut raſuræ hujus Ligni, quantum ſufficit.

Immitte in retortam terream, vel vitream loricatam, ita ut tertia, vel quarta pars circiter vacua remaneat, immittatur retorta furno reverberii & applicetur vas recipiens amplum. Inchoetur deſtillatio leni igne, quo retorta calefiat & Phlegma propellatur. Ubi nullæ guttæ amplius prodeunt, Phlegma extillatum ex recipiente effundatur & ſeorſim ſervetur. Recipiens denuo applicatum lutetur optime ignisque gradatim augeatur, ſic prodibunt Spiritus ſub forma nebularum, & Oleum. Continuandus ignis, donec nihil amplius egrediatur; refrigeratis vaſis delutatisque juncturis, quicquid in recipiens extillavit, filtretur per chartam bibulam, Aqua prius madefactam, ſic tranſibit Spiritus, remanente in filtro Oleo craſſo, nigro atque fœtido. Spiritus rectificari poterit deſtillando per retortam, quo liberetur ab impuritatibus admixtis.

*Spiritus hic, in quo acidum prædominatur, ſudorem atque urinam ciet: doſis eſt ad guttas viginti*

*viginti quinque, quadraginta, ſexaginta & ultra. Oleum vel abſque rectificatione aſſervatur, vel rectificatur ſupra Arenam, Cineres aut Oſſa calcinata. Per os non aſſumitur, ob ingratum & fœtidum ſaporem, ſed commodiſſime ad uſus externos, ac feliciſſime ad ulcerum omne genus uſurpatur, nominatim venereorum, vulnerum mundificationem, fungoſarum carnium conſumtionem, ſicuti & oſſium exſquamationem, imo ad illorum cariem. Ad dentes quoque dolentes optimo cum ſucceſſu adhibetur, particulis enim Oleoſis aëri aditus præcluditur, particulis vero Salinis acribus ſerum ſtagnans corrigitur fluxileque redditur. Ex Capite mortuo, pauliſper adhuc calcinato, lege artis, Sal extrahi poteſt.*

## SPIRITUS LILIORUM CONVALLIUM.

Paratur ut Spiritus Lavendulæ.

*Confortat memoriam. Externe autem utplurimum uſurpatur, ad contuſiones, luxationes, dolores & affectus nervorum, ſic dictos, frigidos, ut & odontalgiam, per nares attractus.*

## SPIRITUS LUMBRICORUM VINOSUS.

℞. Lumbricorum Terreſtrium vivorum libras duas.

Superfunde

Spiritus Vini phlegmatici libras quinque ſemis.

Poſt digeſtionem per biduum deſtillentur, leni igne, ad dimidias, è veſica.

*Uſus eſt externus ad dolores rhevmaticos & arthriticos.*

## SPIRITUS MATRICALIS.

℞. Maſtiches,
Myrrhæ,
Succini,
Thuris ana unciam unam ſemis,
Spiritus Vini libras quatuor.

Deſtilla & ſerva.

*Commendatur in uteri morbis, præſertim paſſione hyſterica. Datur cochleatim.*

## SPIRITUS MELLIS.

℞. Mellis puri libras duas,
Arenæ mundæ quantum ſufficit.

Miſceantur, formentur exinde globuli, qui ex retorta, calore arenæ, igne per gradus adminiſtrato, deſtillentur. Liquor pro-

lectus ab Oleo ſeparetur, atque in Balneo arenæ rectificetur, Phlegmate primo prodeunte, & dein Spiritu ſubſequente.

*Interne habetur aperitivus & diureticus. Datur in Julapiis ad gratam aciditatem. Externe in capillis producendis & flavedine tingendis celebratur.*

## SPIRITUS MELISSÆ.

Paratur ut Spiritus Lavendulæ.

*Cordialis, cephalicus, ſtomachicus, carminativus & uterinus eſt.*

## SPIRITUS NITRI ACIDUS.

℞. Nitri depurati libram unam,
Boli communis libras tres.

Exacte invicem permiſceantur &, ſi libet, in globulos cum Aqua redigantur, qui, ſiccati, ex retorta loricata, tertia ejus parte vacua relicta, in vas amplum recipiens, igne per gradus aucto, deſtillentur, uſque dum rubedo in recipiente diminuatur, & nulli amplius Spiritus prodeant.

*Inſervit pro menſtruo corroſivo.*

## SPIRITUS NITRI DULCIS.

℞. Spiritus Nitri fumantis partem unam.

Inſtilla ſucceſſive & parva quantitate ſimul,

Spiritus Vini dephlegmatiſſimi partibus octo, vel decem,

in cucurbita, vel vaſe vitreo admodum capaci, illud epiſtomio vitreo poſt ſingulas inſtillationes claudendo & miſcelam, motitatione vaſis, promovendo. Peracta mixtione, liquorem in vaſe bene obturato, per aliquot dies digeſtioni, ſic dictæ, frigidæ, ſæpius interea commovendo, expone: qua abſoluta, deſtilla ex retorta, vel cucurbita mediocris altitudinis, in Balneo arenæ, calore moderato, ad *dimidias*; tuncque, alio applicato receptaculo, Spiritum tranſeuntem ſæpius deguſta, ut cognoſcas, an priori adhuc admiſceri queat, an vero ob eminentiorem acredinem, rectificatione opus habeat: quam addita recentis Spiritus Vini rectificatiſſimi portione, nova deſtillatione optime perficies. Hæc rectificatio etiam locum habet, ſi Spiritus totus, ſine prævia digeſtione deſtillatus, ob præcipitem nimis deſtillationem, forſan acredine adhuc juſto majore gauderet.

*Stomachicus eſt & carminativus colicæque medetur, unde*

*etiam vocatur* Spiritus Anticolicus. *Conducit etiam in paſſionibus hyſtericis. Virtutem præterea diureticam poſſidet. Doſis eſt ad guttas quatuor, viginti & ultra.*

## SPIRITUS NITRI FUMANS.

℞. Nitri puriſſimi & ſicciſſimi, pulveriſati, partes tres,
Olei Vitrioli rectificati, vel vulgaris, probe tamen fumantis, partem unam.

Injice Nitrum retortæ vitreæ atque ipſi ſenſim inſtilla Oleum Vitrioli, poſt quamcunque inſtillationem vas fortiter agitando, immerge retortam abſque mora profundius Balneo arenæ &, applicato receptaculo capaciori ac commiſſuris vaſorum rite clauſis, ignem ſubjice lenem, quem ſucceſſive ad ſummum fere gradum augebis atque in eodem conſervabis, donec Spiritus omnis, partim ſub guttularum, partim ſub nebularum rutilantium forma, in receptaculum tranſierit. Quo facto Spiritum, valde fumantem, provide, ſub camino, cavendo à vaporibus corroſivis, vaſi vitreo, epiſtomio vitreo probe obturando, infunde & ſerva.

*Uſibus Medicis non inſervit, niſi dulcificatus, ad cujus præparationem etiam vulgari longe præſtat.*

## SPIRITUS ROSARUM ABSTRACTITIUS.

Paratur ut Spiritus Lavendulæ.

*Vires ſtomachicas atque cordiales, interne & externe obtinet. Datur ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis, ad drachmas duas, in vehiculo. Sexui ſequiori ob fragrantiam utplurimum adverſus eſt.*

## SPIRITUS SALIS ACIDUS ET DULCIS.

℞. Salis communis decrepitati libras duas,
Terræ figulinæ libras ſex.

Miſceantur exacte & cum Aqua globuli exin formentur, (quamvis etiam ſola mixtura ſufficere poſſit) qui exſiccati retortæ, luto obductæ, indantur, tertiam ejus partem vacuam relinquendo; poſtea, igne gradatim adhibito, in vas recipiens amplum deſtillatio inſtituatur, quouſque nulli amplius Spiritus, ſub nebularum forma comparentes, egrediantur. Liquor deſtillatus rectificatione à Phlegmate ſuperfluo liberetur.

Spiritus hic, ſi cum Spiritus

Vini rectificatiſſimi octupla portione miſceatur, & aliquamdiu digeratur, poſtmodum deſtilletur, nomen impetrat *Spiritus Salis Dulcis*, ob mitigatam ſic ejus acrimoniam, facilius exhibendus.

*Spiritus Salis acidus obtinet quidem virtutem aperientem & diureticam, appetitum reſtaurat & in hydrope commendatur, aſt ob indolem corroſivam vix aſſumitur interne; quapropter Spiritus Salis dulcis potius in uſum venit, qui admodum ſuavis eſt & ad modo dictos affectus deprædicatur. Doſis guttæ decem, ad quindecim, viginti &c.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI ANISATUS.

℞. Spiritus Salis Ammoniaci Vinoſi unciam unam,
Olei Aniſi deſtillati drachmam ſemis.

Miſce & digere.

*Uſus ejus in affectibus pectoris & flatulentis à cauſa viſcida ortis. Doſis pro ratione ætatis, ad guttas quinque, quindecim, triginta & ultra.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI VINOSUS.

℞. Salis Ammoniaci libram ſemis,
Cinerum clavellatorum libram unam.

Pulveriſentur ſeparatim, permiſceantur ac prompta manu immittantur in cucurbitam, ut media pars vacua remaneat, poſtea affundantur

Spiritus Vini rectificati unciæ viginti,

vel loco hujus,

Spiritus Vini rectificatiſſimus, cum Aquæ ſufficiente quantitate dilutus.

Superimpoſito alembico & adaptato receptaculo lutatisque juncturis, deſtillatio, igne leni, peragatur; aſcendet primo & alembico adhærebit Sal Volatile ſiccum. Poſtea ſequetur Spiritus, qui Sal Volatile ſolvit & ſecum in receptaculum abripit.

*Minori quidem acrimonia gaudet ac Spiritus Salis Ammoniaci Urinoſus, aſt vi calefaciente illum multo ſuperat. Militat inter validiſſima commoventia, reſolventia, ſudorifera & diuretica: adeoque in affectibus chronicis, à laxitate & torpida vi contractili partium ſolidarum, atque acido viſcida, mucida humorum indole oriundis, locum habet. Datur ad guttas decem, viginti*

*viginti & ultra. Externe tam excitandi, quam diſcutiendi fine uſurpatur, cum aliis utplurimum Spiritibus nervinis &c. mixtus. Inſervit quoque ad Salia volatilia Oleoſa liquida ex tempore paranda, dum Olea Ætherea in eo ſolvuntur.*

## SPIRITUS SALIS AMMONIACI URINOSUS CUM CALCE VIVA.

Fit procedendo eodem modo, ut dictum de Spiritu Salis Ammoniaci cum Cineribus clavellatis, excepto, quod hic recipiatur Calx viva loco Cinerum clavellatorum & menſtruum mere aquoſum, quodque hic nullum Sal volatile in deſtillatione obtineatur.

*Priori fortior & penetrantior exiſtit. Externe potiſſimum adhibetur excitandi, in affectibus ſoporoſis, lipothymicis, epilepticisque, ac roborandi ſcopo in doloribus & affectibus rhevmaticis, arthriticis atque paralyticis; nec non, per inſtrumentum Glauberianum, ad menſium obſtructiones ſolvendas.*

## SPIRITUS TARTARI.

℞. Tartari albi puri & craſſe contuſi quantum libuerit.

Immitte in retortam, tertiam ejus partem vacuam relinquendo, eique, igne aperto expoſitæ, recipientem ſatis capacem adapta, & bene luta, dato primum igne leni, per gradus deinde paulatim intendendo, uſque dum Spiritus nebularum forma, cum Oleo egreſſi fuerint, quæ ab invicem ſeparari, & Spiritus ſuper Alumen uſtum rectificari debet. Ex capite mortuo paratur *Sal Tartari*, illud calcinando in furno figulino ad albedinem, ſolvendo in Aqua, filtrando & ad ſiccitatem inſpiſſando.

*Spiritus, qui merito rectificandus, ut quoad partem fœtorem deponat, quoad partem etiam penetrantior evadat, incidit, attenuat, reſolvit, obſtructiones reſerat, ſudores ciet atque urinam movet. In menſibus retentis, paralyſi, ictero, hydrope convenit. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam. Oleum nigrum, craſſum atque fœtidum, cum rariſſime interius, vel nunquam uſurpetur, rectificatione non adeo habet opus. Unguentis ad ſcabiem additur, tumores duros reſolvit, dolores artuum contumaces valida frictione, inunctum mitigat, membris paralyticis inſervit, egregium eſt vulnerarium, mundificandi vi præ-*

*ditum. Mulierum hyſtericarum naribus admovetur.*

SPIRITUS THERIACALIS CAMPHORATUS.

℞. Spiritus Vini optime rectificati uncias decem,
Theriacæ Andromachi veteris uncias quinque,
Myrrhæ rubræ uncias duas ſemis,
Croci Gallici unciam ſemis.

Poſt peractam octiduanam digeſtionem, fiat Spiritus deſtillatio, imponendo alembici roſtro

Camphoræ drachmas duas.

*Virtutes adſcribuntur diaphoreticæ & alexipharmacæ, incidentes & attenuantes. Cordialium in numero locum habet, dominante peſtilente contagio prodeſt, in actu curationis ad drachmas duas, in actu præſervationis ad drachmam ſemis, ſumtus cum Vino generoſo.*

SPIRITUS DE TRIBUS *ſeu* MIXTURA SIMPLEX CUM CAMPHORA.

℞. Spiritus Theriacalis Camphorati uncias quinque,
Tartari rectificati uncias tres,
Spiritus Vitrioli boni unciam unam.

Miſceantur & digerantur aliquamdiu in vitro bene clauſo & poſtea rectificentur.

*Remedium hocce, cujus auctor eſt* PARACELSUS, *à* GRASECCIO, *Medico noſtrate, appellatum fuit Mixtura ſimplex. Vires habet incidendi & attenuandi. Commendatur in epilepſia, pleuritide, obſtructionibus viſcerum, affectibus hypochondriacis & melancholicis; imprimis in febribus ardentibus & malignis auxiliares præſtat operas, earum materiam per diaphoreſin expellendo, inde & diaphoreticum in peracutis à* PARACELSO *dictum. Doſis eſt ad ſcrupulum, ad ſcrupulos duos, in vehiculo appropriato.*

SPIRITUS DE TRIBUS *ſeu* MIXTURA SIMPLEX SINE CAMPHORA.

Fit ſumendo Spiritum Theriacalem absque Camphora ſimplici mixtione cum reliquis Spiritibus.

*Iis, qui Camphoram non ferunt, præ altera conducit.*

## SPIRITUS VINI CAMPHORATUS.

℞. Camphoræ unciam unam ſemis,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Stent in digeſtione leniſſima, uſque dum Camphora penitus ſoluta ſit.

*Vires habet diaphoreticas, cephalicas, cordiales, alexipharmacas, antarthriticas, exhibitis guttis ſex, ad viginti & ultra. Utplurimum externe ſolummodo uſurpatur, in contuſionibus, luxationibus, rhevmatiſmis & ubi diſcuſſione opus eſt.*

## SPIRITUS VINI RECTIFICATUS ET RECTIFICATISSIMUS.

Nihil aliud eſt, quam Spiritus Vini à Phlegmate magis, minusve liberatus, per repetitam deſtillationem per machinam ex cupro, ſtanno probe obducto, conflatam &, à variis circumvolutionibus, Serpentinam dictam; aut per veſicam; aut etiam per phialam colli admodum longi & anguſti: ubi, igne ſecundum artem adhibito, primo loco prodit Spiritus Vini Rectificatiſſimus, altero vero Rectificatus, remanente in vaſe deſtillatorio Phlegmate. Notas Spiritus Vini dephlegmati atque Alcoholiſati tradunt eſſe, quando accenſus totus deflagrat, quando pulveri pyrio affuſus & accenſus deflagrando ipſum quoque accendit & quando Oleo Amygdalarum innatat, dum communis ſubſidere ſolet.

*Longe præſtantiores ſunt hi Spiritus quam Spiritus Vini ſimplex, ad morbos ſtomachi & capitis, imprimis affectus ſoporoſos, in minore autem quantitate exhibentur. Externe ad ambuſta, ſugillata, luxationes, dolores arthriticos atque rhevmaticos valent, ut & ad hæmorrhagias. Imprimis autem adhibentur ad Eſſentias, Tincturas atque Elixiria paranda.*

## SPIRITUS VITRIOLI CUM OLEO.

Retortam terream, vel vitream loricatam Vitriolo Martiali, ad flavedinem calcinato, parum ultra dimidium, reple, eamque ſtatim furno reverberii expone &, applicato recipiente capaci lutatisque juncturis, ignem ſubminiſtra lenem, quem ſenſim ad fortiſſimum uſque gradum adaugebis atque ita conſervabis, donec nullæ amplius nebulæ albicantes prodeant. Sic primo ſub nebularum forma Spiritus, poſtea Ole-

um guttatim tranſit. Finita operatione &, delutatis poſt refrigerationem vaſorum, juncturis, liquores, in recipiente contentos, retortæ vitreæ infunde, atque Spiritum ab Oleo deſtillatione rectificatoria ſepara; Oleum in fundo retortæ hærebit diaphanum, quod ſi non ſatis purum ac limpidum ſit, diutius coque, vel etiam adaucto igne in receptaculum propelle; denique liquores prolectos in vitris, epiſtomiis vitreis probe obturatis, ſerva.

*Spiritus Vitrioli pro uſu interno vix uſurpatur, niſi in Julapiis, ad aliquot guttas, vel ad gratam aciditatem, pro ſiti & æſtu ſedandis. Alias pro menſtruo corroſivo inſervit. Ex capite mortuo, quod* Colcothar Vitrioli *appellant, mediante aqua, coctione & cryſtalliſatione, obtinetur ſpecies* Gillæ Theophrasti, *ſeu* Sal Vitrioli Vomitivum, *quod à ſcrupulo ſemis ad drachmam ſemis uſque datur, & poſt plenariam Salis extractionem remanet terra,* Terræ Vitrioli Dulcis *nomine nota, vi adſtringente & ſiccante celebris.*

## SPODIUM EX EBORE

*vid.*

EBUR USTUM.

## SUCCINI ALBI PRÆPARATIO.

Fit modo vulgari Succinum cum Aqua ſimplici lævigando.

*Leniter adſtringit, capiti & utero eſt dicatum, ſpecificum eſt in catarrhis & febribus catarrhalibus, laudatur quoque in affectibus catarrhalibus aliis. Datur ad drachmam ſemis, ad drachmam unam.*

## SULPHUR AURATUM ANTIMONII.

Paratur vel ex Scoriis Reguli Antimonii ſimplicis, modo ſub hujus præparatione dicto; vel ex reſiduo Tincturæ Antimonii Tartariſatæ, vel ex Croco Metallorum, eadem plane ratione.

*Convenit ratione virium & uſus cum Alkermes Minerali.*

## SYRUPUS ABSINTHII.

℞. Summitatum Abſinthii unciam unam,

Coque in

Aquæ fontanæ libris duabus,

ad remanentiam unciarum ſedecim. Decoctum hoc, cum

Sacchari unciis totidem,

mediante albumine Ovi clarificetur

cetur, & coctione mediante, redigatur in conſiſtentiam Syrupi.

*Viſcerum confortationi, imprimis autem ſtomacho dicatus, appetitum excitat, concoctionem juvat & flatus pellit. Dari poteſt ad unum alterumque cochleare, vel per ſe, quod tamen ob amaritiem plurimi detrectant, vel cum Vino. Utplurimum Electuariis ſtomachicis & febrifugis, ſi propter palatum licet, jungitur.*

## SYRUPUS ACETOSITATIS CITRI.

℞. Succi Citri uncias novem,
Sacchari albi uncias ſedecim.

Fiat, unica ebullitione, ſecundum artem, Syrupus.

*Admodum gratus eſt, refrigerans, ſitim ſedans, bilem refrænans, putredinem arcens & vermibus reſiſtens.*

## SYRUPUS ALTHÆÆ SIMPLEX.

℞. Decocti Radicum Althææ, ex uncia ſemis facti, uncias ſedecim,
Sacchari totidem.

Coquantur ad Syrupi conſiſtentiam, uti ſub Syrupo Abſinthii dictum.

*Ob vim demulcentem convenit in affectibus colicis, nephriticis & catarrhalibus: præſertim ubi acrimonia humorum peccat.*

## SYRUPUS ALTHÆÆ FERNELII CORRECTUS.

℞. Radicis Althææ uncias duas,
Aſparagi,
Graminis,
Liquiritiæ,
Uvarum paſſarum mundatarum ana unciam ſemis,
Cicerum rubrorum unciam unam,
Cymarum Althææ,
Malvæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis ana unciam ſemis,
Capillorum Veneris unciam unam.

Inciſa coquantur, ex

Aquæ libris ſex,

ad remanentiam librarum quinque, deinde, cum

Sacchari parte anatica,

Fiat ex arte Syrupus.

*Urinæ ardorem demulcet, & in doloribus à calculo, nec non in ulceribus renum & veſicæ prodeſt. Sumitur ad unum vel*

*alterum cochleare, vel aliis quoque commiſcetur. Conducit etiam in tuſſi, aſthmate, pleuritide, doloribus poſt partum, dyſenteria, catarrhis ſalſis, acribus & tenuibus.*

### SYRUPUS BALSAMICUS.

℞. Sacchari albi libras quatuor,
Aquæ fontanæ libras ſex.

Coque, deſpumando, ad Syrupi ſpiſſitudinem, cui, mox ab igne remoto & colato, inſperge, per cribrum rarum, aſſidue agitando,

Balſami Peruviani, cum Sacchari albi, tenuiſſime triti, portione æquali, unciam unam ſemis.

Servetur.

*Stomachicus, vulnerarius, pectoralis eſt. Doſis à drachma una, ad drachmas duas.*

### SYRUPUS BELLIDIS E FLORIBUS.

℞. Florum Bellidis minoris recentium libram unam.

Macerentur in

Aquæ fontanæ libris duabus,

per viginti quatuor horas, poſtea exprimantur &, cum

Sacchari albi libris duabus, coquendo & albumine Ovi clarificando, fiat Syrupus.

*Convenit in morbis pectoris, ejus vulneribus & ſanguine coagulato reſolvendo: in tuſſi quoque & aſthmate laudatur.*

### SYRUPUS BERBERUM.

℞. Succi Berberum depurati libram unam ſemis,
Sacchari libras duas, uncias octo.

Fiat ex arte Syrupus.

*Grata ſua aciditate ſitim ſedat & æſtum refrænat bilemque reprimit. Commiſcetur vel potiunculis, vel Julapiis.*

### SYRUPUS BRASSICÆ RUBRÆ.

℞. Succi Braſſicæ rubræ libram unam ſemis,
Sacchari libras duas, uncias octo.

Coquantur lege artis in Syrupum.

*Commendatur in affectibus pectoris, tuſſi præſertim & aſthmate.*

### SYRUPUS CAPILLORUM VENERIS.

℞. Capillorum Veneris uncias quatuor.

Macerentur in
Aquæ libris ſex,
per tempus, colaturæ addendo

Sacchari libras ſex.

Fiat, ut artis eſt, Syrupus, qui pro lubitu poteſt imbui odore Florum Aurantiorum, addita Aqua Naphæ.

*In pectoris morbis, tuſſi, aſthmate, raucedine, pleuritide commendatur. Expectorationem promovet. Admiſcetur remediis Becchicis. Sæpius etiam in infuſo Thée, jucunditatis gratia, aſſumitur loco Sacchari.*

## SYRUPUS CARDUI BENEDICTI.

℞. Succi Cardui benedicti depurati,
Sacchari albiſſimi ana libram unam ſemis.

Fiat coctione, ſecundum artem, Syrupus.

*Hunc Syrupum noſtrates magni faciunt in ſtomacho vitiato, in cruditatibus & in appetitu proſtrato. Utuntur quoque eo poſt contractam iram, contra colicam. Commendant porro illum ad vermes enecandos, putredinemque arcendam. In pleuritide & febribus malignis ac peſtilentialibus in magno uſu eſt.*

## SYRUPUS CERASORUM ACIDORUM.

℞. Succi Ceraſorum acidorum, per reſidentiam defæcati, libram unam ſemis,
Sacchari albi libras duas, uncias octo.

Fiat Syrupus.

*Gratiſſimus hic Syrupus Mixturis Julapiisque miſceri poteſt, pro extinguenda ſiti, bile domanda & æſtu temperando; unde & vires cordiales ipſi adſcribuntur.*

## SYRUPUS CHAMOMILLÆ.

℞. Florum Chamomillæ recentium libram unam.

Infundantur in

Aquæ ferventis libris duabus.

Stent in vaſe probe clauſo per duodecim horas, poſtea exprimantur, infuſio repetatur, cum

Chamomillæ Florum libra una.

Poſt extractionem exprimantur & liquor clarificetur.

Hujus libræ uni ſemis,

adde

Sacchari albi anaticam portionem.

Fiat, lege artis, Syrupus.

*Commendatur in doloribus colicis, nephriticis & uterinis, ut & affectibus ſpaſmodicis flatulentis.*

## SYRUPUS DE CICHORIO CUM RHABARBARO.

℞. Radicis Cichorii uncias ſex,
Apii,
Taraxaci,
Herbæ & Florum Cichorii ana uncias duas.

Decoquantur in

Aquæ libris ſeptem.

In

Colaturæ libris ſex,

infundantur

Rhabarbari optimi unciæ octo.

Poſtea leniter ebulliant invicem, tandem colatura coquatur, cum

Sacchari libris decem,

ad conſiſtentiam Syrupi.

*Laxat & bilem evacuat, ipſis etiam infantibus exhiberi poteſt, ad humores bilioſos acres educendos, in torminibus eorundem & exinde ortis convulſionibus epilepticis. Doſis à drachmis duabus, ad uncias duas.*

## SYRUPUS CINAMOMI.

℞. Cinamomi optimi, craſſiuſcule contuſi, uncias quinque.

Ponantur in cucurbitam vitream addanturque

Aquæ Cinamomi, cum Vino deſtillatæ, libræ duæ.

Stent in loco calido, bene obturato vaſe, ne quid exſpiret, horis viginti quatuor, deinde filtrentur atque, cum

Sacchari albi clarificati & ad conſiſtentiam tabulandi cocti, libris quatuor & unciis totidem,

fiat, ſola mixtione, Syrupus.

*Pergratus, ſed & pretioſus, hic Syrupus viribus pollet cordialibus atque ſtomachicis; in ventriculo præſertim languido ac frigido emendando, coctione promovenda; ut & oris halitu corrigendo conducit.*

## SYRUPUS CONTRAYERVÆ.

℞. Radicis Contrayervæ uncias ſex.

Infun-

Infundantur per noctem in

Aquæ fontanæ ferventis libris tribus.

Mane leniter ebulliant, ad remanentiam libræ unius ſemis, colaturæ adde

Succi Citri libram unam,
Sacchari albi libras quatuor.

Fiat, unica ebullitione, lege artis, Syrupus.

*Gratus hic Syrupus præter vim alexipharmacam, quam eidem adſcribunt, pro ſcopo ſitim ſedandi, æſtum refrænandi & corroborandi, in variolis, morbillis, febribus continuis & malignis, in Mixturis & Julapiis uſurpari poteſt.*

## SYRUPUS CORALLIORUM.

℞. Coralliorum rubrorum pulveriſatorum uncias duas,
Succi Berberum, perfectæ maturitatis, depurati, libram unam.

Digerantur, calore moderato, per triduum, vel quouſque Corallia bullulas emittere ceſſant; dein, ſuccus affuſus, per inclinationem, ſeparetur,

Succi hujus, Coralliorum ſolutione impraegnati, unciæ decem, cum

Sacchari albi unciis ſedecim,

lenta ebullitione, redigantur in Syrupum.

*Syrupo huic adſcribuntur vires cordiales, hepaticæ & adſtringentes, ita ut etiam in fluxu hepatico & dyſenterico commendetur. Laudatur quoque ad præcavendum abortum. Quid inde præter virtutes refrigerantes & adſtringentes expectandum ſit, ſaniores facile ſentiunt. Datur ad unciam unam uſque per ſe, aut miſcetur cum aliis remediis.*

## SYRUPUS CORTICUM AURANTIORUM
EX CORTICIBUS RECENTIBUS.

℞. Corticum Aurantiorum, dulcium, exteriorum, maturorum, recentium, uncias ſex,
Aquæ fontanæ bullientis libras tres.

Infunde, in vaſe clauſo, leni calore Balnei, per ſex horas, colaturæ adde

Sacchari albi duplum pondus.

Fiat, leni coctione, Syrupus.

*Stomachicus, carminativus & cordialis, gratia ſua palato in Mixturis blanditur.*

## SYRUPUS CORTICUM CITRI RECENTIUM.

Eodem modo paratur ex recentibus Corticibus Citri ac antecedens ex Aurantiis.

*Huic quoque Syrupo gratiſſimo vires cordiales ſtomachicæque adſcribuntur, ſimulque virtus venenis putredinique reſiſtendi & graveolentiam anhelitus emendandi tribuitur.*

## SYRUPUS CYDONIORUM.

℞. Succi Cydoniorum libram unam ſemis,
Sacchari albi libras duas, uncias octo.

Fiat, lege artis, Syrupus.

*Gratus ventriculo, eundem roborat, appetitum excitat, nauſeam, vomitum & fluxus alvi ſedat, bilem reprimit &, ob vim ſuam adſtringentem, abortui præcavendo deſtinatus eſt, ita ut Mulierculæ noſtrates eundem ſæpius in uſum trahant & Amygdalas, à pellicula ſeparatas, ex eo comedant: eandem ob cauſam in alvi profluviis uſurpatur. Datur per ſe, ad unciam unam ſemis uſque.*

## SYRUPUS DOMESTICUS *ſive* DE SPINA CERVINA.

℞. Succi Baccarum Spinæ Cervinæ defecati libras tres,
Sacchari libras duas.

Coque, ſecundum artem, in Syrupum, tempore coctionis ſuſpendendo in eodem ſequentia, in petia ligata.

Aniſi,
Caryophyllorum,
Cinamomi,
Zingiberis ana drachmas duas.

*Purgat & præſertim ſerum evacuat, commendatur podagricis & imprimis hydropicis, quibus ultimis ſæpius profuiſſe experientia comprobavit. Datur à drachmis duabus uſque ad uncias duas. Notant autem merito multi, ut poſt ejus aſſumtionem aliquid ſumatur alimenti, quo tormina præcaveantur.*

## SYRUPUS EMETICUS.

℞. Vitri Antimonii unciam ſemis,
Vini albi optimi libras tres ſemis.

Stent per triduum in digeſtione, poſtea

℞. Liquoris filtrati uncias quadraginta,
Sacchari libras quatuor.

Fiat, lege artis, Syrupus, adjiciendo ſub finem

Aquæ Cinamomi cum Vino uncias tres.

Servetur in vaſe vitreo.

*Vires ex nomine patent, quod videlicet vomitum cieat. Doſis eſt ad drachmas duas, ſex ad ſummum. Additur etiam Clyſteribus in morbis ſoporoſis.*

## SYRUPUS DE ERYSIMO LOBELII.

℞. Eryſimi totius recentis uncias tres,
Radicis Helenii,
Tuſſilaginis ana uncias duas,
Herbæ Borraginis,
Capillorum Veneris,
Cichorei ana drachmas ſex,
Florum quatuor Cordialium,
Rorismarini,
Stœchadis ana drachmas duas,
Seminis Aniſi drachmas ſex,
Paſſularum mundatarum uncias duas.

Inciſa & contuſa coquantur in

Aquæ Hordei,
Hydromellis ana libris quatuor,
Succi Eryſimi unciis ſex,

ad remanentiam librarum trium; in expreſſo liquore ſolvantur

Sacchari albi libræ tres.

Fiat, lege artis, Syrupus.

*Attenuat, incidit pituitoſos atque viſcoſos humores in pectore, expectorationem promovet & reſpirationem liberiorem reddit; imprimis autem commendatur in raucedine. Per ſe datur ad unciam dimidiam, ad unciam unam.*

## SYRUPUS FARFARÆ.

℞. Succi Farfaræ depurati,
Sacchari albi ana libram unam ſemis.

Coquantur in Syrupum.

*Commendatur in morbis pectoris, tuſſi, pleuritide, catharris ſalſis & acribus. Uſurpatur vel per ſe cochleatim, vel in decoctis & infuſis pectoralibus.*

## SYRUPUS GRANATORUM.

℞. Succi Granatorum depurati libram unam ſemis,
Sacchari albiſſimi libras duas, uncias octo.

Coquantur, unica ebullitione, in Syrupum.

*Vires adſcribuntur grato huic Syrupo cordiales, refrigerantes, ſitim ſedantes, bilem reprimentes, vomitum, fluxus alvi & hæmorrhagias compeſcentes. Potionibus atque Julapiis ægros reficientibus additur.*

SYRUPUS GRANORUM KERMES.

℞. Succi Granorum Kermes maturorum libram unam,
Sacchari albi uncias quatuor.

Coquantur, ex arte, in Syrupum.

*Vires cordiales & alexipharmacas obtinet, abortum præcavet, in hæmorrhagiis conducit. Datur ad unciam unam ſemis uſque.*

SYRUPUS JUJUBARUM.

℞. Jujubarum numero ſexaginta,
Florum Violarum unciam ſemis,
Herbæ Capillorum Veneris,
Hordei mundi,
Liquiritiæ ana unciam unam,
Aquæ fontanæ libras novem.

Coquantur ad tertias, colaturæ addendo,
Sacchari partem æqualem.

Fiat Syrupus.

*Pectori dicatus eſt, convenit in raucedine, tuſſi & aſthmate; nec non vitiis urinæ, ubi ſerum tenue & acre peccat: incraſſat enim & demulcet.*

SYRUPUS LONGÆVITATIS *vid.* SYRVPVS MERCVRIALIS.

SYRUPUS MENTHÆ.

Paratur ex Infuſo Menthæ criſpæ hortenſis & Saccharo ad inſtar Syrupi Abſinthii.

*Ventriculo præſertim dicatus, eundem roborat & calefacit, ſingultum & vomitum inhibet, flatus diſſipat; nec in affectibus uterinis inutiliter uſurpatur.*

SYRUPUS MERCURIALIS *ſeu* SYRUPUS LONGÆVITATIS *aut* PROPHYLACTICUS.

℞. Succi Mercurialis libras duas,
Borraginis,
Bugloſſi ana libram ſemis,

Radi-

Radicis Iridis noſtratis uncias duas,
Gentianæ unciam unam,
Mellis deſpumati libras tres,
Vini albi libram unam.

Radices contuſæ macerentur in Vino, per viginti quatuor horas. Cola. Liquetur Mel & Succis miſceatur factaque ebullitione, coletur per manicam HIPPOCRATIS. Ambo liquores ſimul permixti coquantur in Syrupum.

*Commendatur ad vitam prolongandam, podagram, calculum, hydropem &c. Datur jejuno ventriculo, ad unciam ſemis, ad unciam unam. Quid præſtare poſſit ſaniores judicent.*

## SYRUPUS MORORUM.

Fit ut Syrupus Ceraſorum acidorum.

*Uſurpatur in affectibus oris & columellæ.*

## SYRUPUS MYRTILLORUM.

Fit eadem ratione.

*Ubi adſtrictione opus eſt, in alvi profluviis, hæmorrhagiis &c. locum habet.*

## SYRUPUS NICOTIANÆ.

Paratur ut Syrupus Abſinthii.

*Convenit contra affectus aſthmaticos, in quibus pulmonum bronchia pituita craſſa ac viſcida adeo infarciuntur, ut, intercepta reſpiratione, ſuffocationis periculum immineat. Vomitum movet & expectorationem promovet. Datur ad drachmam, ad drachmas ſex, ad unciam. Externe ulcera ſordida & antiqua detergit, absque dolore.*

## SYRUPUS NYMPHÆÆ.

Conficitur ut Syrupus Florum Bellidis.

*Refrigerat, hæmorrhagias compeſcit & ſomnum conciliat. Ad uncias duas uſque datur. Conducit etiam in ardore urinæ & gonorrhœa.*

## SYRUPUS PÆONIÆ FLORUM.

Paratur eodem modo, quo Syrupus Florum Bellidis.

*Capitis affectibus, epilepſiæ, convulſionibus mederi dicitur.*

## SYRUPUS PAPAVERIS ALBI.

℞. Capitum Papaveris albi cum Seminibus uncias octo,
Aquæ libras totidem.

Decoquantur ad dimidium, cui decocto addantur

Sacchari albi libræ tres.

Fiat Syrupus, ut artis eſt.

*Demulcet, dolores ſedat, ſomnum conciliat & fluxus ſiſtit; adhibetur in catarrhis ſalſis tenuibus aſperitatemque faucium lenit. Datur ad unciam unam.*

## SYRUPUS PAPAVERIS ERRATICI.

Fit ut Syrupus Florum Chamomillæ.

*Adhibetur in morbis pectoris ſcopo demulcendi; laudatur in angina, tuſſi, phthiſi, hæmoptyſi, & ſpecifice in pleuritide.*

## SYRUPUS PARALYSEOS.

Paratur ex Florum infuſione, ut Syrupus Florum Bellidis.

*Morbis nervorum, capitis atque articulorum dicatus eſt.*

## SYRUPUS PERSICORUM FLORUM.

℞. Florum Perſicorum recentium libram unam.

Infundantur calide in

Aquæ Florum Perſicorum libris quatuor,

in vaſe clauſo, per aliquot horas; poſtea exprimantur & in colatura denuo infundatur

Florum Perſicorum libra una.

Uti dictum, exprimantur & labor tertia vice reiteretur. Denique ex

Infuſi ſaturati,
Sacchari albi portione analtica,

clarificando & coquendo, fiat, lege artis, Syrupus.

*Laxat & ſerum bilemque evacuat; vermibus adverſari creditur. Datur ad unciam dimidiam, ad uncias duas uſque.*

## SYRUPUS PROPHYLACTICUS

*vid.* SYRUPUS MERCURIALIS.

## SYRUPUS DE QUINQUE RADICIBUS MESUÆ.

℞. Radicis Apii,
Aſparagi,
Fœniculi,
Petroſelini,
Ruſci ana uncias duas,
Aquæ fontanæ libras ſex.

Coquantur, ad tertiæ partis conſumtionem, expreſſum coquatur denuo, ſecundum artem, cum

Sacchari libris tribus,

ad conſiſtentiam Syrupi.

*Vires incidentes, aperientes, urinam pellentes obtinet. Datur ad uncias duas.*

## SYRUPUS E ROSIS SICCIS.

Fit ex trina Florum ſiccorum Roſarum rubrarum infuſione & portione Sacchari anatica, coquendo, lege artis, Syrupum.

*Vires adſcribuntur cordiales & adſtringentes, in fluxibus alvi ac hæmorrhagiis.*

## SYRUPUS ROSARUM SOLUTIVUS.

Fit ex Floribus Roſarum Damaſcenarum ut Syrupus Florum Chamomillæ.

*Alvum blande ſubducit; ipſis infantibus propinari poteſt. Datur ad drachmas duas, unciam dimidiam, uncias duas uſque.*

## SYRUPUS RUBI IDÆI.

Fit ut Syrupus Ceraſorum acidorum.

*Vires confortandi & refrigerandi habet. Ob gratiam, qua gulæ blanditur, Julapia exinde parantur eandemque ob cauſam Mixturis immiſcetur.*

## SYRUPUS DE SPINA CERVINA

*vid.* SYRUPUS DOMESTICUS.

## SYRUPUS TUNICÆ FLORUM.

Paratur ut Syrupus Florum Bellidis.

*Vires cordiales & alexipharmacæ huic Syrupo adſcribuntur, admiſcetur præſertim Mixturis cordialibus & confortantibus.*

## SYRUPUS VIOLARUM.

℞. Florum Violarum recentium, à cauliculis, calycibus & flavedine repurgatorum, libram unam.

Infunde, per viginti quatuor horas, in

Aquæ fontanæ ferventis libra una ſemis.

Poſtea cola & exprime.

Colaturæ unciis novem,

adde

Sacchari uncias ſedecim.

Fiat, lege artis, Syrupus.

*Suaviſſimo huic Syrupo, & propterea uſitatiſſimo, vires cordiales atque pectorales, ad tuſ-*

*ſim, raucedinem & aſperitatem faucium; nec non refrigerantes adſcribuntur. Infantibus præſertim conducit, alvum blande ducendo. Æſtivo tempore Julapia exinde parantur.*

## TABULÆ DIAIREOS.

℞. Pulveris Ireos Florentinæ unciam unam,
Specierum Diaireos unciam ſemis,
Sacchari albi libras duas.

Fiant Tabulæ.

*Expectorationem promovent, conveniunt in tuſſi. Doſis à drachma una, ad drachmas duas & ultra.*

## TABULÆ MANUS CHRISTI SIMPLICES ET PERLATÆ.

℞. Sacchari albiſſimi libram unam,
Aquæ Roſarum quantum ſatis pro Sacchari ſolutione.

Coquantur. Fiant, ut artis eſt, Tabulæ.

Quodſi Tabulas Manus Chriſti Perlatas, ſive Saccharum ſic dictum Perlatum conficere velis, injiciendæ ſub finem forent, Margaritæ præparatæ; ſed placuit nobis Matris Perlarum præparatæ unciam ſemis ſubſtituere, ob vilius pretium, æquales tamen virtutes.

*Ad edulcorandum potiſſimum inſerviunt.*

## TABULÆ PECTORALES.

℞. Caricarum pinguium,
Dactylorum,
Jujubarum,
Paſſularum majorum ana uncias duas.

Coque in ſufficiente quantitate Aquæ communis, per aliquot tempus, cum

Radicis Liquiritiæ uncia ſemis.

In colaturæ libra una ſemis, ſolve

Sacchari libras tres.

Adde

Pulveris Liquiritiæ unciam unam,
Gummi Arabici,
Tragacanthi ana drachmas duas,
Balſami Peruviani, in Spiritus Roſarum drachma una ſoluti, drachmam ſemis.

Miſce, fiant, lege artis, Morſuli.

*In affectibus pectoris, à materia acri oriundis, demulcendo præſertim conducunt.*

TABU-

## TABULÆ ex SUCCO BERBERUM.

℞. Sacchari albi pulveriſati libram unam.

Incaleſcat ad ignem lentum, donec fere liqueſcat, tum adde paulatim

Succi Berberum depurati uncias duas.

Miſce, fiant ex arte, Tabulæ.

*Refrigerant ſitimque ſedant. Vel ita comeduntur, vel iiſdem Mixturæ edulcorantur.*

## TABULÆ ex SUCCO CITRI.

Eodem modo ac Tabulæ ex Succo Berberum parantur.

*Temperantes ſunt atque cordiales.*

## TABULÆ ex SUCCO ET ELÆO-SACCHARO CITRI.

℞. Sacchari albi uncias octo,
Elæo-ſacchari Citri recentis uncias duas.

Fiant, cum

Succi Citri drachmis decem,

lege artis, Tabulæ.

*Magis ſtomachicæ, carminativæ & cordiales exiſtunt.*

## TABULÆ STRUMALES.

Fiunt ex

Pulveris Strumalis drachma una,

&

Sacchari uncia una.

*Ad ſtrumas abigendas commendantur, ſi tempore lunæ decreſcentis, quotidie mane & veſperi ad drachmam & ultra aſſumantur.*

## TABULÆ contra VERMES.

Parantur,

Pulveris contra Vermes drachmam unam,

cum

Sacchari uncia una,

in Tabulas redigendo.

*Vires nomen indicat.*

## TARTARUS CHALYBEATUS.

℞. Tartari albi crudi, pulveriſati, libram unam,
Limaturæ Martis puræ uncias quatuor.

Coque in

Aquæ communis libris duodecim,

ad remanentiam quartæ circiter partis. Liquor colatus & filtratus ad cryſtalliſandum reponatur.

Cryſtalli concretæ ſeparentur & liquor reſiduus denuo ad cuticulæ apparentiam inſpiſſetur & reponatur; ſicque procedatur uſque dum nullas amplius Cryſtallos exhibeat.

*Incidit, reſolvit & roborat, hinc in febribus intermittentibus, cachexia & malo hypochondriaco commendatur. Doſis à granis decem, quindecim, ad ſcrupulum unum. In majori doſi nauſeam, imo & vomitum excitat.*

## TARTARUS EMETICUS.

℞. Croci Metallorum,
Cryſtallorum Tartari ana unciam unam.
Digerantur cum
Aquæ fontanæ libra una,

per biduum, poſtea, facta ebullitione ſupra ignem, filtrentur, filtratus liquor evaporetur & ad cryſtalliſandum reponatur: Tartarus concreſcens exſiccetur. Nota omnes Cryſtallos ſimul eſſe terendos, ut optime miſceantur & Tartarus Emeticus æqualis virtutis emergat, vel Lixivium ad ſiccitatem inſpiſſandum, quod adhuc melius exiſtit. Methodo Gallica ſumuntur partes duæ Tartari & una tantum Croci Metallorum; ſicque mitior longe Tartarus Emeticus emergit.

*Vires nomen indicat. Datur ad granum ſemis, granum unum, grana duo, quatuor.*

## TARTARUS SOLUBILIS

*vid.*
SAL VEGETABILE.

## TARTARUS TARTARISATUS

*vid.*
SAL VEGETABILE.

## TARTARUS VITRIOLATUS.

℞. Olei *Tartari* per deliquium, purificati, uncias quatuor.

Huic Spiritus Vitrioli tantum guttatim inſtilletur, uſque dum non amplius invicem efferveſcant; poſtea humiditate, lento calore, evocata ad cuticulæ apparentiam, ad cryſtalliſandum reponatur.

*Eſt egregium digeſtivum & aperitivum, in cruditatibus primarum viarum & obſtructionibus viſcerum. Doſis ad ſcrupulum ſemis, ad ſcrupulum unum, drachmam ſemis.*

## TARTARUS VITRIOLATUS TACKENII.

℞. Vitrioli quantum lubet.

In ſufficiente quantitate Aquæ

ſoluto, inſtilla ſolutionem Cinerum clavellatorum, à Sale medio liberatorum, uſque dum ſolutio Vitrioli, abſque ulteriori præcipitatione, permaneat limpida. Punctum hoc ſaturationis cum tædio reperiri, ait Auctor, cum, ſi unica guttula Alcali ſuperet Vitrioli acidum, vel unica guttula acidi Vitriolici ſuperſit, ab Alcali haud ſaturata, tum mixtura vel in Alcali, vel Vitriolum vertatur. Rite vero facta ſaturatione, liquor, evaporatus ad cuticulam, in Cryſtallos redigatur.

*Ab Auctore antecedenti præfertur; nobis ſecus videtur.*

## TEREBINTHINÆ COCTIO.

Terebinthinæ libra una,
coquitur in

Aquæ libris viginti quatuor, donec odorem amittat, & inſpiſſetur adeo, ut refrigerata digitis in pulverem teri queat, ac vitri modo diſſiliat ſicque pro Pilulis, exinde conficiendis, inſerviat.

*Conducit pro abſtergendis viis urinariis; item in gonorrhœa.*

## TERRA FOLIATA TARTARI.

℞. Salis Tartari albiſſimi libram ſemis,
Aceti deſtillati quantum ſufficit.

Abſtrahatur Acetum per deſtillationem, aut evaporetur in vaſe ferreo. Poſtea iterum materia novo Aceto deſtillato imprægnetur & rurſus evaporetur; hocque tamdiu continuetur, donec Acetum exhalet, prout fuit affuſum, æque ſcilicet acidum, nullusque amplius, affuſo Aceto, audiatur ſibilus materiaque in fundo ſit nigricans. Tunc Tartarus eſt animatus & ceſſandum ab iterata affuſione & evaporatione. Materia nigra in Spiritu Vini ſolvatur & per chartam bibulam filtrata, leniſſimo calore, in vaſis terreis, aut vitreis exſiccetur, aut etiam in cucurbita Spiritus Vini abſtrahatur. Exſiccata materia iterum Spiritu Vini ſolvenda & exſiccanda toties, donec alba appareat, & foliorum, longe à ſe invicem diſſitorum, facie concreſcat. Facile hoc Sal in Aëre liqueſcit & tunc vocatur

## LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI PER DELIQUIUM.

Si vero

Terræ Foliatæ Tartari drachmæ duæ, ſolvantur in
Aquæ ſimplicis uncia una,

LIQUOR TERRÆ FOLIATÆ TARTARI
Limpidus

audit.

*Obſtructiones reſerat, hinc magnum eſt remedium antihypochondriacum, prodeſt in arthritide, calculo & omnibus morbis ab obſtructione ortis. Doſis ad grana quinque, ad ſcrupulum & ultra.*

## THERIACA.

Theriacam, quam omnium plane Medicamentorum Reginam dicere, nonnulli conſueverunt, & ob ſingularem efficaciam nobili multorum ſeculorum encomio & experientia, fidiſſima rerum magiſtra, ipſis olim Regibus Imperatoribusque, magnis ſumptibus ſimplicia, ad ejus confectionem requiſita, comparantibus, uſui fuiſſe conſtat, & cujus præparationem ipſi Medici Cæſarei non detrectabant; præcipue vero Mithridates, medicamentorum venenis adverſantium vires particulatim expertus, plurima eorum conjungens, in famoſam tandem redegit Antidotum, qua ſuam à venenis incolumitatem tutatus eſſe legitur. Subſecutus autem multis poſt annis Andromachus, inter Neronis Medicos primus, nonnullis additis, quibuſdam demtis, Viperas ei admiſcuit, cum jam ante citra harum additionem confectum medicamentum præclare contra toxica faceret, atque ſic Theriacam conſtruxit, cujus uſus ſub maximis Imperatoribus (ut Galenus *Lib. de Theriaca ad* Pisonem teſtatur) in publicum prodiit, Primatibus ac exercituum Ducibus opportunus futurus. Ad nobilem autem hanc Antidotum parandam, idem Galenus *Lib.* 1. *de Antidot.* ſibi ex magna Syria, Palæſtina, Ægypto, Cappadocia, Ponto, maxime vero ex Macedonia, & ex provinciis ad Occidentem ſitis, quas Galli inhabitant & Hiſpani, atque oppoſitas oras incolentes Mauri, medicamenta ad ejus compoſitionem neceſſaria, allata fuiſſe ſcribit. Unde nullis hic ſumtibus, diligentiæ, aut labori parcendum ac difficultas propter utilitatem ſuperanda. Cum autem neminem eam recte paraturum putaverit Galenus, niſi bene parantem prius viderit, ideo ejus componendæ legitimam normam, multo nobis uſu compertam, lucidiſſime, ne error obrepere poſſit, ſubjunximus. Ea autem ita ſe habet:

THE-

## THERIACA ANDROMACHI SENIORIS
### EX GALENO.

℞. Trochiſcorum Scillinorum uncias ſex,
Hedychroi,
de Vipera,
Opii cum Aceto depurati,
Piperis longi ana uncias tres,
Agarici,
Cinamomi,
Comarum Scordii Cretici,
Ireos Illyricæ, aut Florentinæ,
*Opobalſami*, *vel Olei* ex Nuce Moſchata expreſſi,
Roſarum rubrarum exſiccatarum,
Seminis *Buniadis* dulcis, ſeu Napi ſativæ,
Succi Glycyrrhizæ ana unciam unam ſemis,
Calaminthæ montanæ odoratæ,
Caſſiæ ligneæ veræ,
Comarum Marrubii,
Coſti odorati, vel Zedoariæ,
Croci Orientalis,
Foliorum Dictamni Cretici,
Myrrhæ,
Nardi Indicæ,
Piperis albi,
nigri,
Radicis Pentaphylli,
Rhabarbari,
Schœnanthi,
Seminis Petroſelini Macedonici,
Stœchadis Arabicæ,
Terebinthinæ Cypriæ,
Thuris maſculi pellucidi,
Zingiberis ana drachmas ſex,
Ammeos,
Amomi racemoſi, aut Seminis Citri & Hyperici ana partes æquales,
Aniſi,
Calami aromatici,
Cardamomi minoris,
Carpobalſami,
Chalcitidis toſtæ,
Chamæpityos,
Comarum Chamædryos Creticæ,
Hyperici,
Cubebarum,
Foliorum Malabatri, aut ejus loco Macis & Caryophyllorum ana partes æquales,
Gummi Arabici ſplendidi,
Mei, vel Angelicæ,
Nardi Celticæ,
Phu Pontici, aut Valerianæ noſtræ,
Polii Cretici,
Radicis Gentianæ,
Sagapeni,
Seminis Fœniculi Cretici,
Seſeleos Maſſilienſis,
Styracis Calamitæ,
Succi Acaciæ,

Succi Hypociſtidis,
Terræ Lemniæ veræ,
Thlaſpios ana unciam ſemis,
Ariſtolochiæ longæ,
Bituminis Judaici,
Caſtorei,
Comarum Centaurii minoris,
Galbani,
Opopanacis,
Seminis Dauci Cretici ana drachmas duas,
Mellis deſpumati triplum, id eſt, libras quatuordecim, uncias quinque, & drachmas duas.

*Nobiliſſima hæc Antidotus, à* Galeno 1. *de Antidotis & Lib. de Theriaca ad* Pisonem *deſcripta, quæ ante à tranquillitate, quam ægris præſtat,* Γαλήνη *dicta eſt, cum varie à variis parari ſoleat, cuilibet per nos methodo ſibi conſueta uti, & ſuo abundare ſenſu licebit; qua in re, nec noſtris Pharmacopœis, in miſcendis ingredientibus, non unum ordinem obſervantibus, hactenus, ad certum eos adſtringendo modum, nimis rigoroſos, aut ſuperciliosſos nos præbuimus, certi, modo exacta omnium inſtituatur unio, idem medicamentum enatum iri. Unde ordinem ſaltem antiquitus obſervatum, in pauciſſimis tantum immutatum, & miſturam ſatis laudabilem daturum, hic repetere animus eſt.*

*Simplicia igitur ad Theriacæ conſtitutionem expetita, eaque omnium selectiſſima, quæ conteri poſſunt, in ſex Claſſes dividantur, harumque ſingulæ ſeorſim in ſubtilem pulverem redigantur; non ea quidem intentione, ac ſi omnia illa, ſi jungantur, conteri ſimul nequeant; ſed, ne tanta moles (cum in magna utplurimum quantitate conficiatur,) trituram difficiliorem reddat; quamvis non omnino negare velimus, aliquid hic potius opinioni & conſuetudini, imo & pompæ, ſi non apud vulgus proficuæ, ſaltem non damnoſæ, dari, liberum interea aliis relinquendo, ſimplicia iſta vel juncta, vel in partes pro lubitu diviſa, in pulverem redigere.*

*Præfatæ autem Claſſes hoc modo ſe habent.*

I. *CLASSIS.*

℞. Ireos Illyricæ,
Scordii Cretici,
Seminis Buniadis ana unciam unam ſemis,
Aniſi,
Seſeleos,
Polii Cretici ana unciam ſemis,
Zedoariæ electæ drachmas ſex.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum libram ſemis, drachmas ſex.*

II. *CLASSIS.*

℞. Amomi,
Chamædryos,
Fœniculi Cretici,
Gentianæ ana unciam ſemis,
Calaminthæ montanæ,
Marrubii,
Pentaphylli ana drachmas ſex.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias quatuor, drachmas duas.*

III. *CLASSIS.*

℞. Chamæpityos,
Nardi Celticæ,
Radicis Mei, ſeu Angelicæ,
Phu Pontici,
Seminis Thlaſpios ana unciam ſemis,
Ariſtolochiæ longæ drachmas duas,
Dictamni Cretici drachmas ſex.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres ſemis.*

IV. *CLASSIS.*

℞. Roſarum rubrarum unciam unam ſemis,
Florum Hyperici unciam ſemis,
Florum Centaurii minoris,
Seminis Dauci ana drachmas duas,
Petroſelini Macedonici drachmas ſex,
Trochiſcorum de Scilla uncias ſex,
de Vipera uncias tres.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias duodecim, drachmas duas.*

V. *CLASSIS.*

℞. Calami Aromatici,
Seminis Ammeos ana unciam ſemis,
Cinamomi optimi unciam unam ſemis,
Caſſiæ ligneæ,
Rhabarbari ana drachmas ſex,
Piperis longi uncias tres.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias ſeptem.*

VI. *CLASSIS.*

℞. Piperis albi,
nigri,
Zingiberis albi ana drachmas ſex,
Cardamomi,
Cubebarum,
Folii ana unciam ſemis.

*Pendit hæc Claſſis in univerſum uncias tres, drachmas ſex.*

*Sequentia autem ſingula per ſe terantur, utpote*

Croci Orientalis,
Myrrhæ,
Thuris albi ana drachmæ ſex,
Agarici Trochiſcati uncia una ſemis,
Bituminis Judaici,
Caſtorei ana drachmæ duæ,
Chalcitidis toſtæ,
Terræ Lemniæ veræ ana uncia ſemis.

*Porro:*

Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Stœchadis Arabicæ ana drachmæ ſex,

forfice minutim incidantur mucilagine Tragacanthi imbuantur, iterumque exſiccatæ in pulverem conterantur.

Trochiſcorum Hedychroi ingredientia, poſtquam eorum uſus, præter eum, Theriaca quem poſtulat, amplius apud nos haud ſupereſt, nunquam in illam orbicularem formam redacta, ſed debito tantum in pondere, inque pollinem redacta (Oleum Caryophyllorum pro mixtura ad finem jam deducta ſervando) huc accerſere, ceu ſupra jam monuimus, hactenus conſuevimus.

*Nunc vero Gummi & Reſinæ, Terebinthina Cypria & Styrace exceptis, utpote Sagapeni uncia ſemis, Opopanacis drachmæ duæ, Gummi Arabici uncia ſemis, per ſe Vino Cretico diſſoluta ac eliquata, per ſetaceum, tenuis pulticulæ forma exprimantur: hoc facto, ad permixtionem ſic accedes: Primo ſex claſſes Medicamentorum, in tenuem pollinem redactas, una cum iis, quæ per ſe terenda monuimus, nec non ſpeciebus Trochiſcorum Hedychroi, (Terra Lemnia, Croco & Chalcitide exceptis) commiſcebis, diligenter pulveres agitando, ut accurate & per minima permixti, paulatim poſtmodum Melli & reliquis liquidioribus miſceri queant, eo plane modo, quem jam tradituri ſumus.*

*His igitur ita rite diſpoſitis, in cacabum magnum, ſex circiter Mellis deſpumati, ac modice calentis unciæ infundendæ, eæque piſtillo magno ligneo, ita hinc inde diducendæ, ut cacabi jam dicti fundus & parietes aliquouſque Melle hoc tenuiſſime obducti, & quaſi peruncti videantur. Tunc omnium primo Terebinthina*

*thina Cypria ſupra prunas leni calore liquata, addito pauco Melle & Vino Cretico, eidem aheno indenda, quam mox Gummium expreſſus quaſi cremor, identidem Vino Cretico modice dilutus & leniter calefactus ſubſequatur. Abhinc Succi & Liquores concreti, nempe Succus Acaciæ, Glycyrrhizæ, Hypociſtidis ipſumque Opium compoſitioni jungantur, quæ omnia ac ſingula Vino Cretico diſſoluta & colata, una cum prioribus aheno inditis, continua ac indeſinenti agitatione probe permiſceantur. Hoc facto, Mellis deſpumati, mediocriter calentis, libræ aliquot immittantur, atque facta iterum diligenti omnium jam dictorum unione, pulveres ſex claſſium per cribrum anguſtum paulatim inſpergantur, continuaque agitatione ſic accurate permiſceantur, ne quid grumeſcat, ſed compoſitio ipſa evadat æqualis ac tenera, atque ſic alternis vicibus modo Mellis portio aliqua adfundenda, modo pulveres inſpergendi, donec omnis pulverum quantitas Melli unita fuerit. Tunc vero Terra Lemnia & poſt eam Chalcitis, utraque prius Vino Cretico diluta, adjicienda; abhinc Styrax Calamita, addito modico Vino Cretico, ſuper prunas liquefiat, ac Oleo Nucis Moſchatæ addito artificioſe, ne grumeſcat, diſſolvatur, compoſitionique addatur. Quæ ubi probe una cum cæteris omnibus mixta fuerint, Crocus, eodem Vino Cretico dilutus, Theriacam intret, & poſtremo Oleum Caryophyllorum, quod à Trochiſcis Hedychrois, in quorum ſtructura Opobalſami vices ſupplere debebat, huc accedit, Medicamentumque diu ac ſtrenue agitandum, ut omnium eo perfectior fiat mixtio, idque in vaſe mundo reponendum, cujus tertia, vel ad minimum, quarta pars vacua ſuperſit, ut Theriaca fermentando in ampliorem molem accreſcens & inſurgens, commode per dies aliquot in eo agitari queat. Eſt enim ad dies minimum octo continuos quotidie commovenda, deinde vero ſingulis hebdomadibus, ac tandem ſingulis menſibus agitanda, donec anni unius ætatem attigerit, ſemper eam diligenter contegendo & ab externis injuriis muniendo; eritque ſic Theriaca omnibus ſuis numeris abſoluta, eos effectus præſtans, quos vetus ſeculum atque etiam modernum, de tam nobili ac pretioſo Medicamine pollicetur.*

*Quandoquidem vero confici-*

*endæ Theriacæ labor vix, ob parvam ejus copiam præparandam, ſuſcipitur, cum ſi ſecundum deſcriptionem ſimplicem diſpenſetur, vix viginti libras conſtituat, ideo ejusdem in duplo, quadruplo, ſextuplo, octuplo, decuplo & duodecuplo conſtruendæ Schematiſmum ſubjecimus, adjecta ſingulis ingredientibus debita ponderis nota, ut Pharmacopœos ſupputationis onere levaremus. Schematiſmus vero clarus & facilis hic eſt:*

| THERIACA ANDROMACHI. | | *In ſimplo.* | *In duplo.* | *In quadruplo.* | *In ſextuplo.* | *In octuplo.* | *In decuplo.* | *In duodecuplo.* |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| ℞. Trochiſcorum Scillinorum - - | | ℔. s. | ℔. I. | ℔. II. | ℔. III. | ℔. IV. | ℔. V. | ℔. VI. |
| Hedychroi, | | | | | | | | |
| de Vipera, | | | | | | | | |
| Opii, | | | | | | | | |
| Piperis longi - - | ana | ℥. III. | ℥. VI. | ℔. I. | ℔. I. s. | ℔. II. | ℔. II. s. | ℔. III. |
| Agarici Trochiſcati, | | | | | | | | |
| Cinamomi, | | | | | | | | |
| Comarum Scordii Cretici, | | | | | | | | |
| Ireos Illyricæ, | | | | | | | | |
| Olei Nucis Moſchatæ expreſſi, | | | | | | | | |
| Roſarum rubrarum exſiccatarum, | | | | | | | | |
| Seminis Buniadis, | | | | | | | | |
| Succi Glycyrrhizæ | ana | ℥. I. s. | ℥. III. | ℥. VI. | ℥. IX. | ℥. XII. | ℥. XV. | ℥. XVIII |
| Calaminthæ montanæ, | | | | | | | | |
| Caſſiæ ligneæ veræ, | | | | | | | | |
| Comarum Marrubii, | | | | | | | | |
| Coſti odorati, | | | | | | | | |

| | | In ſimplo. | In duplo. | In quadruplo. | In ſextuplo. | In octuplo. | In decuplo. | In duodecuplo. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Croci Orientalis, | | | | | | | | |
| Foliorum *Dictamni* Cretici, | | | | | | | | |
| Myrrhæ, | | | | | | | | |
| Nardi Indicæ, | | | | | | | | |
| Piperis albi, | | | | | | | | |
| nigri, | | | | | | | | |
| Radicis Pentaphylli, | | | | | | | | |
| Rhabarbari electi, | | | | | | | | |
| Schœnanthi, | | | | | | | | |
| Seminis Petroſelini *Macedonici*, | | | | | | | | |
| Stœchadis Arabicæ, | | | | | | | | |
| Terebinthinæ Cypriæ, | | | | | | | | |
| Thuris maſculi, | | | | | | | | |
| Zingiberis albi - - | ana | ʒ. vi. | ℥. i. s. | ℥. iii. | ℥. iv. s. | ℥. vi. | ℥. vii. s. | ℥. ix. |
| Ammeos, | | | | | | | | |
| Amomi racemoſi, | | | | | | | | |
| Aniſi torrefacti, | | | | | | | | |
| Calami Aromatici, | | | | | | | | |
| Cardamomi minoris, | | | | | | | | |
| Carpobalſami, | | | | | | | | |
| Chalcitidis toſtæ, | | | | | | | | |
| Chamædryos, | | | | | | | | |
| Chamæpityos, | | | | | | | | |
| Comarum Hyperici, | | | | | | | | |
| Cubebarum, | | | | | | | | |
| Folii, | | | | | | | | |
| Gummi Arabici ſplendidi, | | | | | | | | |

| | | In ſimplo. | In duplo. | In quadruplo. | In ſextuplo. | In octuplo. | In decuplo. | In duodecuplo. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Hypociſtidis, | | | | | | | | |
| Mei, | | | | | | | | |
| Nardi Celticæ, | | | | | | | | |
| Phu Pontici, | | | | | | | | |
| Polii Cretici, | | | | | | | | |
| Radicis Gentianæ, | | | | | | | | |
| Sagapeni, | | | | | | | | |
| Seminis Fœniculi Cretici, | | | | | | | | |
| Seſeleos, | | | | | | | | |
| Styracis Calamitæ, | | | | | | | | |
| Succi Acaciæ, | | | | | | | | |
| Terræ Lemniæ veræ, | | | | | | | | |
| Thlaſpios - - - | ana | ℥. s. | ℥. I. | ℥. II. | ℥. III. | ℥. IV. | ℥. V. | ℥. VI. |
| Ariſtolochiæ longæ, | | | | | | | | |
| Bituminis Judaici, | | | | | | | | |
| Caſtorei, | | | | | | | | |
| Florum Centaurii minoris, | | | | | | | | |
| Galbani recentis, | | | | | | | | |
| Opopanacis, | | | | | | | | |
| Seminis Dauci Cretici - - - | ana | ʒ. II. | ℥. s. | ℥. I. | ℥. I. s. | ℥. II. | ℥. II. s. | ℥. III. |
| Mellis deſpumati triplum, - - | ſeu | ℔. 14. ℥. 5. ʒ. 2. | ℔. 28. ℥. 10. s. | ℔. 57. ℥. 9. | ℔. 86. ℥. 7. s. | ℔. 115. ℥. 6. | ℔. 144. ℥. 4. s. | ℔. 173. ℥. 3. |

*Vires Theriacæ quod concernit, etſi nemo inficias ire queat, compoſitionem hanc ſcatere pluribus ſuperfluis & incongruis, dum v. gr. ex calidis, frigidis, amaris, acidis, dulcibus, purgantibus, adſtringentibus, narcoticis, ſudoriferis, diureticis &c. conſarcinatur, nihilominus ob communiſſimum uſum è foro Medico non excluditur. Virtute præſertim alexipharmaca prædita eſſe cenſetur, conducit etiam in affectibus ſtomachi, vermes pellit,*

*pellit, febres curat, atque uterum calefacit, & roborat. Datur ad drachmam, quæ continet granum unum Opii; externe umbilico & ventriculo applicatur, in confortando ſtomacho & fluxibus alvi.*

*Nota, quod Theriacæ atque Mithridatii deſcriptiones, ex Pharmacopœa Auguſtana, cum bene ſeſe habeant, deſumere lubuerit.*

## THERIACA COELESTIS.

℞. Pulpæ Squillæ uncias ſex,
Allii uncias duas,
Opii,
Serpentum noſtratium præparatarum,
Viperarum præparatarum ana uncias ſex,
Croci,
Myrrhæ ana uncias duas,
Caſtorei unciam unam,
Piperis longi uncias ſex,
Cinamomi uncias tres,
Calami Aromatici,
Caſſiæ ligneæ,
Coſti veri,
Piperis albi,
nigri,
Schœnanthi,
Spicæ Indicæ,
Stœchadis Arabicæ,
Zingiberis albi ana unciam unam ſemis,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Folii,
Galangæ,
Macis,
Spicæ Celticæ ana unciam unam,
Cubebarum uncias duas,
Florum Roſarum rubrarum uncias tres,
Calendulæ,
Centaurii minoris,
Hyperici ana unciam unam,
Baccarum Juniperi,
Lauri ana uncias duas,
Paridis,
Myrobalanorum Chebularum,
Emblicarum ana uncias quinque,
Herbæ Cardui benedicti,
Dictamni Cretici,
Galegæ,
Rutæ ana uncias tres,
Scordii uncias ſex,
Abrotani,
Calaminthæ montanæ,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Marrubii,
Origani,
Polii Cretici,

Herbæ Roriſmarini,
Salviæ minoris,
Scabioſæ ana unciam unam,
Majoranæ,
Mari veri,
Ligni Aloës,
Aſpalathi,
Santali citrini ana uncias quinque,
Radicis Angelicæ,
Zedoariæ ana uncias tres,
Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Biſtortæ,
Cardopatii,
Dictamni albi,
Gentianæ,
Imperatoriæ,
Petaſitidis,
Pimpinellæ,
Scorzoneræ,
Succiſæ,
Tormentillæ,
Valerianæ ſylveſtris,
Vincetoxici ana uncias duas,
Ariſtolochiæ longæ,
Aſari,
Contrayervæ,
Cyperi rotundæ ana unciam unam,
Cruciatæ,
Enulæ campanæ,
Iridis Florentinæ,
Radicis Meu,
Pentaphylli,
Phu Pontici,
Rhabarbari,
Agarici ana unciam unam,
Seminis Buniadis,
Cardui benedicti,
Citri ana uncias tres,
Aquilegiæ,
Amomi racemoſi,
Aniſi torrefacti,
Dauci Cretici,
noſtratis,
Fœniculi Cretici,
*Hyperici*,
Petroſelini Macedonici,
noſtratis,
Rutæ,
*Seſeleos*,
Thlaſpi ana unciam unam,
Succi Liquiritiæ uncias tres,
Acaciæ,
Hypociſtidis ana unciam unam,
Olibani in granis unciam unam ſemis,
Sagapeni,
Sandaracæ ana unciam unam,
Aſphalti,
Galbani,
Maſtiches,
Opopanacis ana uncias quinque,
Camphoræ drachmas duas,

Terræ Sigillatæ Sileſiacæ unciam unam ſemis,
Cornu Cervi præparati,
Gummi Arabici ana unciam unam,
Olei Nucis Moſchatæ expreſſi uncias tres,
Caryophyllorum unciam unam ſemis,
Styracis expreſſi unciam unam,
Succini unciam ſemis,
Spiritus Terebinthinæ unciam unam ſemis,
*Vitrioli* correcti unciam unam,
Balſami Peruviani uncias tres.

*Paratarum ex his extractionum & Eſſentiarum, juſto ponderi addantur.*

Matris Perlarum præparatæ drachmas decem,
Coralliorum præparatorum,
Oculorum Cancri præparatorum,
Serpentum noſtratum præparatorum ana drachmas quinque,
Chryſolithi ſoluti,
Granati ſoluti,
Hyacinthi ſoluti,
Rubini ſoluti,
Smaragdi ſoluti ana drachmas tres,
Salis Matris Perlarum unciam ſemis,
Coralliorum,
Oculorum Cancrorum,
Bezoardici Animalis,
Mineralis,
Lapidis Bezoar Occidentalis,
Orientalis ana drachmas duas,
Cornu Alcis præparati,
Oſſis de corde Cervi præparati,
Terræ ſigillatæ Sileſiacæ,
Turcicæ,
Unicornu foſſilis,
veri ana drachmam unam ſemis,
Galredæ Cornu Cervi uncias duas,
Ambræ gryſeæ,
liquidæ ana drachmam unam.

*Ad extractiones & ſolutiones adhibentur*

Acetum,
Aqua,
Oleum,
Spiritus Veneris,
Vini.

*Theriaca hæc cæleſtis ad mentem* QUERCETANI *à Dn.* GREIFFIO, *Pharmacopæo Tubingenſi ſolertiſſimo, primum adornata, poſtmodum ab aliis pluribus et-*

*iam Pharmacopœis noſtratibus exculta & confecta miris laudibus extollitur. Vires ejus prædicantur Alexipharmacæ, ſudoriferæ, dolorum ſedativæ, ſomnique conciliatrices, vi quoque adſtringente pollet, uti & in alvi fluxibus celebratur. Doſis ad granum unum, ad grana ſeptem, drachma continet circiter grana duo Opii.*

## THERIACA DIATESSARON.

℞. Ariſtolochiæ rotundæ veræ,
Baccarum Lauri,
Gentianæ,
Myrrhæ ana uncias duas,
Mellis deſpumati libras duas.

Miſce, fiat Electuarium.

*Deſcribitur ab Avicenna & Meſue. Ad venenatos morſus & potus efficax omneſque cerebri frigidos affectus, convulſiones, reſolutionem, morbum comitialem, ventriculi inflammationem ac coctionis tarditatem. Hanc paſſim agyrtæ & circumforanei circumferunt, & pro magna Theriaca venalem exhibent. Theriaca hæc licet jumentis communiter exhibeatur, hominibus tamen identidem ſalutaris exiſtit. Valebit autem plurimum contra peſtilentis luis infectionem, aliorumque morborum malignorum contagia, ſi ei Terram Lemniam, aut Bolum Armenam, Dictamnum album, Tormentillam, Scordium, Carlinam, Zedoariam vel Angelicam, aucto Mellis pondere junxeris.*

## TINCTURA ANTIMONII ACRIS.

℞. Reguli Antimonii Martialis vulgaris, aut ſtellati, partes duas,
Nitri puri partem unam.

Pulveriſata atque mixta detonentur in crucibulo, calcinentur ac fundantur igne fortiori, nova ſubinde Nitri pulveriſati adjecta portione, donec totus Regulus ſucceſſive in Scorias mutatus fuerit. Scoriis contuſis & adhuc calentibus Spiritus Vini rectificatiſſimus, ad aliquot digitorum eminentiam, ſuperfundatur & Tinctura rubicunda, eminenti ſapore acri prædita, digeſtionis fortioris & protractioris ope extrahatur. Si loco Spiritus Vini ſimplicis, Spiritus Vini Oleoſus adhibetur, Tinctura majorem conſequitur rubedinem.

*Ob majorem acrimoniam, virtutem ſtimulantem majorem præ Tartariſata obtinet, hinc illi merito præferenda, ſed cautius & parcius uſurpanda.*

TIN-

## TINCTURA ANTIMONII TARTARISATA.

℞. Salis Tartari libram unam,
Antimonii electi libram ſemis.

Pulveriſata & mixta fluant in crucibulo, valido igne per horam, poſtea effunde materiem in mortarium ferreum calefactum, pulveriſa & mox in phialam, itidem prius calefactam, inditæ ſuperfunde Spiritum Vini rectificatiſſimum, ad eminentiam trium digitorum, digerantur, interdum agitando, donec Spiritus Vini rubicundo colore ſaturato tingatur & Tinctura ſatis acris exiſtat.

*Sanguinem purificat, acidum abſumit, obſtructiones tollit, in menſium obſtructionibus, melancholia hypochondriaca, paſſione hyſterica, ſcabie, ſcorbuto conducit. Vim obtinet ſudoriferam, convenit in catarrhis, gonorrhœa virulenta & lue venerea. Datur ad guttas decem, triginta, quinquaginta &c.*

## TINCTURA BALSAMI INDICI ALBI.

℞. Balſami Indici albi unciam unam,
Salis Tartari drachmas duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi uncias ſex.

Balſamum cum Sale probe uniatur, ſenſimque Spiritus Vini affundatur & ſic, debita adhibita digeſtione, eliciatur Tinctura.

*Fragrans hæc Tinctura medicamentum eſt cephalicum, nervos roborans & cardiacum. Conducit quoque in gonorrhœa virulenta &c. Datur ad guttas decem, viginti & ultra.*

## TINCTURA BENZOES.

℞. Benzoës uncias duas,
Spiritus Vini rectificatiſſimi libram unam.

Digere, in vitro clauſo, ad ſaturatam Tincturæ extractionem, filtra & ſerva.

*Tanquam coſmeticum, ad maculas delendas & nitorem faciei conſervandum, commendatur. Quum hæc Tinctura Aquæ infunditur, Aqua lacteſcit & conſtituit ſic dictum* Lac Virginis. *Ad quatuor uncias Aquæ, ſumi poteſt drachma una Tincturæ. Alias quoque aſthmaticis & aliis pectoris morbis laborantibus, incidendi ſcopo, ad aliquot guttas propinari poteſt.*

## TINCTURA LACCÆ.

℞. Gummi Laccæ ſelecti & pulveriſati uncias duas,
Aluminis crudi unciam unam.

Miſce & affunde

Aquæ pluvialis deſtillatæ uncias ſex.

Bulliendo parum, ſolve Gummi & Alumen, quibus refrigeratis, adde

Aquæ Roſarum,
Salviæ ana uncias duas.

Tandem per chartam colatam Tincturam ſerva.

*Externe potiſſimum in ſcorbuto oris & laxitate, cruentatione & exulceratione ſcorbutica gingivarum; præſertim ſub ſalivatione eveniente, vel per ſe, vel cum Melle Roſato, aut Syrupo quodam appropriato juncta, mediante penicillo illinitur; nec non in Collutiones oris & Gargariſmata recipitur.*

## TINCTURA MARTIS APERITIVA TARTARISATA.

℞. Limaturæ Martis,
Cremoris Tartari pulveriſati ana libram ſemis.

Coque cum

Aquæ menſuris ſeptem circiter,

per plures horas, ad mellaginem, ſubinde bacillo ligneo materiam agitando: poſtea affuſa denuo

Aqua fontana ad menſuras duas, vel tres,

ſtent in infuſione per noctem, tunc repetatur coctio ut prius; tandem filtra liquorem &, ad tertias evaporato, affunde

Spiritus Vini quantitatem ſufficientem,

ita ut non nimis diluta fiat Tinctura, ubi parum præcipitatur, rurſus liquorem filtra & ſerva.

*Vires ex nomine patent, obſtructiones reſerat. In affectibus cachecticis, retentione menſium, hydrope &c. conducit. Exhibetur ad drachmam & ultra.*

## TINCTURA MARTIS ELLEBORATA.

℞. Tincturæ Martis Ludovici uncias quatuor,
Extracti Ellebori nigri drachmas duas.

Mixta digerantur & filtrentur.

*Prodeſt in morbis contumacibus, chronicis, affectu hypochondriaco, ictero, arthritide, ſcor-*

*buto, melancholia. Doſis ad guttas viginti, triginta, quadraginta & ultra.*

## TINCTURA MARTIS CUM SUCCO POMORUM.

℞. Limaturæ Martis repurgatæ libram ſemis,
Succi Pomorum redolentium, recenter expreſſi, libram unam ſemis,

Stent in digeſtione per aliquot dies, agitando ſæpius vas & liquorem ipſum: poſtea coletur liquor per linteum ſubtile, novus ſuccus affundatur, digeſtione peracta, iterum quod tinctum coletur, conjunctim impraegnati ſucci exhalent ad medietatem & ultra.

Ut ætatem ferat, nec ſitum contrahat penetrantiorque hæc Tinctura fiat,

℞. Hujus Tincturæ partes ſex,
Spiritus Vini partes duas.

Miſce.

*Hæc Tinctura celebratur aperiens, craſſos & feculentos humores maſſæ ſanguineæ admiſtos, ſeroſos etiam & acres ſcorbuticos reſolvens. Doſis ad drachmam unam, ad drachmas duas.*

## TINCTURA MARTIS E VITRIOLO MARTIS LUDOVICI.

℞. Vitrioli Martis,
Cremoris Tartari ana libram ſemis.

Fiat pulvis, qui cum

Aquæ ſimplicis libris ſex,

coquatur, & inter agitandum lente exhalet ad Mellis conſiſtentiam, hocque coagulum

Spiritus Vini Gallici libris ſex,

extrahatur, & poſt filtraturam inde libra una, vel interdum nihil abſtrahatur. Tingatur Floribus Papaveris erratici.

*In obſtructionibus viſcerum ab atonia partium ſolidarum, ictero, hydrope &c. commendatur, ipſis quoque infantibus non abſque ſucceſſu adhibetur. Doſis ad ſcrupulum unum, ad drachmam unam.*

## TINCTURA METALLORUM.

℞. Reguli Antimonii Martialis uncias duas,
Cupri Japonici,
Stanni Anglicani puri ana unciam unam.

Fundantur in crucibulo igne intenſiori, donec Cuprum penitùs diſparuerit, & tria hæc corpora debite mixta ſint. Deinde maſſa adhuc fluens infundatur in conum fuſorium &, poſt refrigerationem, in pulverem teratur, qui rurſus, cum mixtis duodecim Nitri partibus, in crucibulo fundatur, uſque dum colorem cœruleo-virideſcentem acquiſiverit, quo viſo, in mortarium calidum effundatur & pulveriſetur calide adhuc, cucurbitæ, etiam calidæ, immittatur & Spiritus Vini rectificatiſſimus, ad aliquot digitorum eminentiam, ſuperfundatur atque, digeſtionis fortioris in arena ope, Tinctura eliciatur, ſaporis valde acris colorisque eleganter rubentis.

*Viribus hæc Tinctura pollet iisdem ac Tinctura Antimonii acris, aſt penetrantioribus.*

## TINCTURA *ſeu* ANIMA RHABARBARI.

℞. Radicis Rhabarbari electi unciam ſemis,
Salis Tartari drachmam unam,
Aquæ ſimplicis libram unam.

Contuſa radix miſceatur cum Sale Tartari, affundatur Aqua, in momento extrahitur Tinctura crocea, ſtet in digeſtione caloris leniſſimi, liquor filtratus ſaturate rubicundus ſervetur ad uſum. Cum ſitum facile contrahat, melius ex tempore paratur.

*Stomachica eſt, ſanguinem mundificat & obſtructiones meſenterii aliorumque viſcerum reſerat; conducit in cachexia, ictero, hydrope &c. Doſis eſt ad ſcrupulum unum, drachmam unam, cochlear dimidium, ad cochlear integrum & ultra; in majori doſi data alvum laxat.*

## TINCTURA ROSARUM.

℞. Florum Roſarum rubrarum exſiccatarum unciam ſemis,
Aquæ fontanæ ferventis libram unam,
Spiritus Vitrioli boni drachmam ſemis.

Stent in balneo maris tepido, per horas quatuor, poſtmodum in colatura rubicundiſſima diſſolvantur

Sacchari albi unciæ tres,

& per chartam bibulam trajiciantur.

*Refrigerat, ſitim ſedat & corroborat; vel per ſe hauritur, vel immiſcetur potui ordinario.*

## TINCTURA SALIS TARTARI.

℞. Salis Tartari depurati quantum vis.

Funde illud in valido crucibulo, igne intenſo, inque fluxu tamdiu conſerva, donec in colorem è rubro cœruleum tranſierit, effuſum, in mortarium ferreum calefactum, pulveriſetur & mox in phialam, itidem calefactam, indito, ſuperfundatur Spiritus Vini rectificatiſſimus, ad eminentiam trium digitorum, digerantur per aliquot dies in arena, interdum agitando, donec Spiritus Vini rubicundiſſimo tingatur colore, qui filtratus ſervetur.

*Eſt inſigniter aperitiva, obſtructiones reſerat, vias urinarias abſtergit, urinam ciet & ſanguinem purificat. Doſis ad guttas decem, ad viginti, triginta &c.*

## TRAGEA ALBA.

℞. Gummi Arabici uncias quinque,
Tragacanthæ albæ uncias tres,
Radicis Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ ana uncias duas ſemis,
Amyli libras duas,
Sacchari albi libras ſex.

Miſce, fiat pulvis.

*Convenit præſertim infantibus, ad tormina curanda & præſervanda. Datur cuſpidatim.*

## TRAGEA GRANORUM ACTES.

℞. Succi Baccarum maturarum Sambuci expreſſi quantum vis.

Adde farinam ſecalinam, fac paſtam & exinde panes exiguos, in furno, ad duritiem bis coctis, coquendos. Hos pulveriſa, pulverem cum eodem ſucco iterum impaſta atque, ut prius, in furno coque, idque tertio repete, tandem pulveriſa & ſerva.

*Adſtringens hoc remedium tanquam ſpecificum antidyſentericum habetur. Doſis ad drachmam unam, ad unciam ſemis.*

## TRAGEA SUAVIS *ſeu* AROMATICA.

℞. Cinamomi acuti uncias quatuor,
Caryophyllorum unciam unam,
Macis unciam ſemis,
Nucis Moſchatæ,
Zingiberis ana drachmas ſex,
Santali rubri, Spiritu Vini irrorati, uncias tres,

Sacchari albi libras quatuor.

Miſce, fiat pulvis.

*Virtute ſtomachica gaudet, concoctionem promovet; uſurpatur poſt paſtum ad aliquot cultri cuſpides, cum pane parumper toſto, Vino ebrio.*

## TROCHISCI DE AGARICO *ſeu* AGARICUS TROCHISCATUS.

℞. Agarici electi uncias quatuor,
Vini generoſi, in quo drachma una Zingiberis infuſa fuit, quantum ſatis.

Formentur Trochiſci.

*Ad ſerum & pituitam educendam commendantur. In infuſis & decoctis ad drachmas duas, unciam ſemis, ad drachmas ſex præſcribuntur.*

## TROCHISCI ALHANDAL.

℞. Gummi Arabici,
Tragacanthæ ana drachmas tres.

Macerentur in Aqua Roſacea, donec liqueſcant &, cum majori parte hujus mucilaginis,

Pulpæ Colocynthidis, à ſeminibus mundatæ ac minutim inciſæ, unciæ decem,

imbuantur, ſiccentur, pulveriſentur & tandem, cum reliqua mucilagine, formentur Trochiſci; qui tamen in Officinis ſub forma pulveris ſubtiliſſimi aſſervari ſolent.

*Violenter admodum purgant, ideoque ſtimuli tantum loco aliis purgantibus ad granum unum, alterumve junguntur.*

## TROCHISCI ALKERMES.

℞. Confectionis Alkermes completæ drachmam unam ſemis,
Coccionellæ grana quinque,
Salis Tartari grana tria,
Sacchari albi uncias tres.

Fiant, lege artis, Trochiſci.

*Cordiales ſunt atque cephalicæ, anhelitus quoque ſuavitatem conciliant.*

## TROCHISCI BECCHICI ALBI.

℞. Sacchari albiſſimi libram unam,
Amyli unciam ſemis,
Radicis Ireos Florentinæ unciam unam,
Mucilaginis Tragacanthi albiſſimi, cum Aqua

Roſarum factæ, quantum ſatis.

Formentur Trochiſci parvi.

*Demulcent & blande reſolvunt, faucium aſperitati conducunt ac tuſſientibus & difficulter ſpirantibus opem ferunt, proſunt quoque ad fœtorem oris corrigendum.*

## TROCHISCI BECCHICI CITRINI.

℞. Sacchari albi uncias ſedecim,
Radicis Ireos Florentinæ,
Liquiritiæ ana unciam unam,
Croci ſcrupulos duos.

Cum ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthæ fiant, lege artis, Trochiſci parvi.

*Pectorales ſunt, uti præcedentes.*

## TROCHISCI BECCHICI NIGRI.

℞. Succi Liquiritiæ uncias octo,
Seminis Aniſi,
Fœniculi ana unciam ſemis,
Sacchari uncias ſedecim.

Cum mucilagine Tragacanthæ fiant Trochiſci parvi.

*Conveniunt præſertim in pertinaciori tuſſi, cui quædam vaſorum læſio juncta eſſe videtur, & in raucedine.*

## TROCHISCI FUMALES SINE MOSCHO.

℞. Styracis Calamitæ uncias quatuor,
Benzoës uncias octo,
Sacchari libram unam ſemis.

Cum mucilagine Tragacanthæ fiant Trochiſci.

*Uſus ex nomine patet.*

## TROCHISCI EX NITRO ET CINNABARE.

℞. Nitri depurati unciam unam,
Cinnabaris factitiæ præparatæ drachmas duas,
Sacchari albi libram ſemis.

Miſceantur & cum mucilagine Tragacanthæ fiant Trochiſci.

*Refrigerant, ſitim ſedant, æſtum ſanguinis & bilis refrænant.*

## TROCHISCI DE TERRA CATECHU.

℞. Terræ Catechu præparatæ unciam unam,
Sacchari candi albi unciam ſemis,
Caryophyllorum ſcrupulum unum.

Simul pulveriſata miſce cum

ſufficiente quantitate mucilaginis Tragacanthi, Aqua Plantaginis extractæ; fiant Trochiſci. Adde, ſi lubet, Olei Cinamomi, Citri, vel Eſſentiæ Ambræ, aut alterius Aromatis, guttas aliquot.

*Conveniunt in fœtore oris ejusque ſcorbuto & gingivarum eroſione.*

Trochiſcorum ſequentium, qui, licet apud nos non amplius in uſu, nec Officinales ſint, Mithridatium tamen & Theriacam ingrediuntur, compoſitiones ideo quoque hic ſubnectere placuit, prouti in Pharmacopœa Auguſtana, ex GALENO, deſcribuntur.

## TROCHISCI CYPHEOS DAMOCRATIS.

℞. Uvarum paſſarum pinguiſſimarum, ſeu Cibebarum,
Therebinthinæ coctæ ana uncias tres,
Myrrhæ,
Schœnanthi ana unciam unam ſemis,
Calami aromatici drachmas novem,
Cinamomi unciam ſemis,
Baccarum Juniperi,
Caſſiæ ligneæ,
Cyperi,
Spicæ Indicæ,
Unguis odorati, aut Bdellii unguinoſi ſeu ſelectiſſimi ana drachmas tres,
Aſpalathi, aut Ligni Aloës, vel Santali citrini drachmas duas ſemis,
Croci drachmam unam,
Mellis deſpumati,
Vini Cretici ana quantum ſufficit.

Bdellium, Myrrha & Terebinthina cocta, in Vino diſſoluta, redigantur ad craſſitiem Mellis & carnibus Paſſularum, ex Melle diu tritis, miſceantur: deinde reliqua in tenuiſſimum pulverem redacta adjiciantur ac, ſimul agitando, commiſceantur formenturque Trochiſci, in umbra ſiccandi.

## TROCHISCI HEDYCHROI ANDROMACHI.

℞. Aſari,
Aſpalathi, vel Santali citrini,
Majoranæ,
Mari veri ana drachmas duas,
Calami aromatici,
Cinamomi,
Coſti,
Opobalſami, aut Olei Caryophyllorum,
Phu Pontici,

Schœ-

Schœnanthi,
Xylobalſami, vel Ligni Aloës, ana drachmas tres,
Caſſiæ ligneæ,
Croci,
Folii, aut Macis & Cyperi ana partes æquales,
Myrrhæ,
Nardi Indicæ ana drachmas ſex,
Amomi racemoſi unciam unam ſemis,
Maſtiches drachmam unam,
Vini Falerni, vel Cretici, aut *Hiſpanici* quantum ſufficit.

Fiant Trochiſci, qui, in umbra exſiccati, Oleo Caryophyllorum inungantur.

## TROCHISCI DE SCILLA GALENI.

Scillam plenam & candidam, cortice primo detracto & parte duriore, cui radiculæ adhærent, abjecta, farina aqua ſubacta involves & eouſque in clibano coques, donec farina probe ſiccata fuerit cruſtamque contraxerit; qua perforata ſtylo ligneo, explorabis, num Scilla undique tenera ſit. Eam exemtam diligenter teres & admiſcebis farinæ Ervi, tenuiſſime cribratæ, aut pulveris Radicum Dictamni albi, uncias octo ad ſingulas libras formabisque Trochiſcos, ponderis duarum drachmarum, quos in umbra ſiccabis, ſæpius obvertendo, donec probe ſiccati fuerint.

## TROCHISCI E VIPERA GALENI.

Ex Italia plerumque adportantur. Præparari tamen ſequentem in modum poſſunt.

